



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Justitia Triumphans Seu Profligatum Bellum


[S.l.], 1689


urn:nbn:de:hbz:466:1-38259




"Th. 4768.

M. II
+ 39









JUSTITIA TRIUMPHANS

Seu
PROFLIGATUM BELLUM,

Quo
Electio Canonica de Persona,
Serenissimi & Reverendissimi Principis ac
DOMINI DOMINI

JOSEPHI CLEMENTIS,

Utriusque Bavarix ac Palatinatus Superioris Ducis, Comitis Palatini Rheni, Landgravii Leuchtenbergensis, Electi Ratisbonensis & Frisingensis, in Archi-Episcopum & Principem Electorem Coloniensem celebrata, per Satyram quandam anonymam improbe impugnata &c. quæ idem contra tam improbos insultus in hoc scripto optimis ac solidissimis fundamentis Juris Canonici propugnatur & defenditur.

olono Studio & operâ p. Kloppenburgi S.I.
Sinceri Justitiæ Cultoris

E. M. S. C. M. Q. C. E. V. G. A. I. N. F.

ANNO 1689.

Colly. Soctis Jesu paderborna 1697.



Hugo Grotius, vir eruditionis minimè vulgaris, in opusculo suo de jure Belli & Pacis, sat subtiliter exacuato,

Lib. 2. cap. 25. §. 9. num 1.

de viris militaribus, ob solam spem lucelli castra sequentibus, ita differit: nullum vitæ genus esse improbius, quàm eorum, qui sine causæ respectu mercede conducti militant, & quibus *Ibi fas ubi plurima merces.* quod haud ineptè illis adaptari posse videtur, de quibus Joachimus Burgerus, apud militiam Cæsaream quondam causarum Castrensium Auditor, & Iustrationum Commissarius

in suis observat. Juridic. Politico militaribus, centur. I. obseru. 8.

affirmat, se aliquando quorundam militum horrendissimam temeritatem cum stupore audivisse, asserentium: *Das sie dem Teuffel selbst umbs Gest dienen wolten.* Et quod in tricennali bello Suecico-Germanico res ipsa testimonium perhibuerit, quam dirè & immaniter afflicta nostra Germania per proprios filios suos, in copia numerosa exterarum potentiarum servitiis mancipatos dilacerata, & ad devastationem usque devastata fuerit, ita, ut congruè de illis cantari possent versus, quos dictus Grotius loco citato in annotationibus adducit, hoc tono

*Ære dato conductæ cohors, & bellica miles
Dona sequens, pretioq; suum mutare favorem,
Suetus, & accepto pariter cum munere bello,
Hunc habuisse: dator pretii, quem jusserit hostem.*

A

Haud

Haud dispar ratio etiam servari videtur quibusdam lucrī-
petis in militia togata, qui in disceptationibus forensibus
nihil adeò feliciter assequi, nihil tam dexterè comprehen-
dere nōrunt, quam quod Schenckhs tibi casus dativi sit, de
quibus Valentinus Winther

in Parthenio litigioso lib. 1. cap. 9. num. 5.

hoc modo loqui amat: Horum si nares afflaverit cūjus-
quā rubiginosa aura marsupii, confestim videbis illis ocu-
los Argimanus Briarei, Sphyngarum ungues, periuria Lao-
medentis, Ulyssis argutias, Simonis fallacias, fidem Poly-
mestoris adhiberi: Hi Rapones, inquit Joannes Sarisberi-
ensis

lib. 5. de Nug. Curial. cap. 10.

dum præsepibus se detinent forensibus, umbram quoque
spei devorant, cum bulga cænant, lavant, dormiunt: omnis
in una spes eorum bulga; hac devincta est cætera vita:
quo fit, quòd nullam juris partem sanctiorem, magisque sus-
cipiendam putent, quàm eam, quæ aureos plures reddere
possit; à quibus longissimè abest, ut de salubri hominum
concordia, & tranquilla inter mortales conversatione vel
semel cogitent, qui fas, atque nefas juxta habent, ut ait
Virg: Pingiz.

Q. q. Saxon. 58. num. 1. 2. & 3.

Et hinc demum deplorandos videmus regnorum & Rerum-
publicarum vertigines exoriri, dum nulla lis sive causa in-
veniri possit tam sordida, injusta, vulnerata, imò nefanda,
impia, scabie & leprâ incurabili depravata

ut ait Duro di Pasch. 348.

quæ non habeat egregios suos Patronos, propugnatores,
defensores & protectores

Spech. cent. 2. & 4. qu. 41. nu. 7. Adam. Keller. lib. 2.

de Off. jur. Polit. cap. 25.

Adeò, ut non desint, qui in omnibus patrociniū tenere, &
lites, sive justas sive injustas, defendere profitentur; infer-
nalem

nalem eructando vocem, nullam fore litem tam bonam, quam pervertere & laxare, nullamque contra tam pravam & desperatam, quam ornare, sustentare, & ad victoriam usq; defendere non valeant.

Pet. Frid. in ep. ded. lib. 1. de proc. ext. 9.

Et quanquam in ignominiosam & infamem hanc professionem, quam mendacium & iniquitas protegitur, & agnita veritas impugnatur, fat acriter invehatur Ordelaph.

ad l. fin. num. 67. de R. V.

demonstrans præprimis, ad quam strictam rationem hujusmodi temerarii veritatis & justitiæ conculcatores, apud terribile Omnipotentis Dei judicium reddituri sint: Nihilominus tamen videmus, reperiri non paucos indies tam depravatos Legum & Justitiæ tortores, qui non aliter, ac si super tertium peccatum in Spiritum Sanctum plenissimam dispensationem pro inex pugnabili scuto conscientiae habent, agnitam veritatem impugnare, nihil erubescunt.

Horum vestigia sectari videtur compiler scripti cujusdam anonymi, nuperis diebus pro firmanda prætensa Postulatione Eminentissimi Domini Cardinalis de Fürstenberg, subsequenti intitulatione,

Exacta facti Species, cum solida remonstracione non existentis prætensæ Electionis Serenissimi Principis Josephi Clementis Bavariae Ducis &c.

suppresso nomine Authoris, typographi & loci, ac itaque (ut loqui consueverunt) sine die & Consule, typo editi, & dispersi: tenore cujus idem author, veluti novus jurium repletor, & salubrium legum everfor vix non totam compaginem ordinationum Canonicarum dissolvere satagit, & Electionem illam Canonicam, quâ mediante Die 19. Mensis Julii labentis Anni 1688. Serenissimus Princeps & D. Dom. Josephus Clemens utriusque Bavariae Dux &c. tanquam per Sanctissimum Patrem nostrum Pontificem Romanum indulto Eligibilitatis, omni meliori modo præviè habilitatus,

in Capitulo Metropolitanae Ecclesiae Coloniensis, in Archiepiscopum & Principem Electorem ritè electus est, pro minus Canonica, nulla, & invalida infringere, ac multis longâ serie compilatis calumniosis commentis, tergiversationibus, imò heterogeniis planè, & judaicis jurium interpretationibus, ut irritam & inefficacem evertere conatur.

Quorum malignorum sementorum causam finalem si quis dignoscere cupiat, & rem ad probum examen juris simul & Prudentiae Politicæ revocet, haud obscure dignoscere poterit, per hos radios fucatos, artibus & violentis attentatis, quibus Eminentissimus Dominus Competitor Cardinalis de Fürstenberg prætensè Postulatus, jure sibi pereunte ex persuasum haud dubiè similium artificum forensium, qui in litium semento lucra metunt, & pabulantur, succensus, dignitatem Archiepiscopalem & Electoralem Coloniensem, altè memorato Sevenissimo Principi ac Domino Josephi Clementi Bavariae Duci, præter omnem opinionem bene fati Eminentissimi Domini Cardinalis, Canonice ad eam electo, viâ facti præripere anhelat, larvam quandam & speciem saltem Justitiæ adumbrandam quæri: adeo, ut si res fortè ad funestum bellum deduceretur, ad minus tales, quibus melior rerum notitia deesset, sibi firmiter persuasum habere possent: Eminentissimum Dominum Cardinalem injustè exclusum, & proinde ex causa conservandi juris sibi quæsitæ ad ejusmodi exitiosas extremitates adactum esse.

Ideo ipsissima Deo Sacrata Justitia, Zelo & devotioni, quam pro tranquillitate & salute patriæ natura cuique implantavit, præcipit, hujusmodi tam vafre contutas futilitates, oppositâ genuinâ rei veritate, denudare, & toti mundo palam perspectum reddere, quàm perversè, succisim & mutilatè non modò ipsa facti qualitas, per authorem seu fabricatorem dicti scripti, in medium producat, verum etiam, quam improbè jura & constitutiones Canonicae torquean-

queantur, difsecentur, & ad lanienam usque distendantur; ita ut, quantum applicationem & interpretationem jurium concernit, per totam illam Satyram, vix quicquam veritatis, integritatis, fidei, probitatis, æqui aut justii reperiri, intrepide affirmare ausim.

Nam si ad rem ipsam progredi, & dispicere lubet, quibus argumentis & rationibus præsumptuosus propugnator prætensæ postulationis, omnia tam solide constructa fundamenta Jurium, quibus Electio Serenissimi Ducis *Josephi Clementis* &c. ritè & canonicè celebrata nititur, concussa dejicere tentet; non quidem diffitendum est, quasdam suarum nugarum à primo conspectu Lectori, præprimis jurium ignaro, frontem non aded infirmam ostentare; Dicet enim communem esse Canonistarum sententiam, quod à tempore Concilii Generalis Lateranensis celebrati sub Innocentio Tertio, nulla Electio Canonica reputari aut confirmari valeat, nisi celebrata fuerit à majore parte Capituli, & quidem juxta allegatam Doctrinam Barbosæ

in Collect. ad Cap. Luca propter 42. de Elect. num. 27.

non comparatione minoris, & respectu numeri, sed respectu & in ordine ad totum Capitulum, quia teste Passerino (quem ad hoc allegat) ad Canonicam Electionem nunquam sufficeret pars minor, etiamsi esset prudentissima & sanissima, ex ratione, quod ordinatio ante facti Concilii Lateranensis ad Electionem Canonicam *substantialiter* requireret majorem Capituli partem, dum Pontifex in ea ita loquatur. *Quia propter diversas Electionum formas, quas quidam invenire conantur, magna pericula imminet Ecclesiis viduatis, statuimus &c. ut is collatione habitâ eligatur, in quem major & sanior pars Capituli consenserit &c. alias Electio non valet.*

Quæ conciliaris dispositio cum esset inductiva novi Juris, expressè statuens, eam solam electionem valere, quæ à majori parte Capituli celebrata fuerit. Ex quo, quia post

hujusmodi conciliarem dispositionem nulla in hanc usque horam alia emanaverit constitutio declarans, Electionem à minori parte Capituli factam, pro Canonica esse reputandam, inconcussa remaneret sententia, nullam dari posse Electionem Canonicam, soli minori parti innitentem.

Quod ipsum variæ decretales conciliarem dispositionem ab aliis Pontificibus subsecutæ, declararent, & inter cæteras clara esset decretalis Gregorii Noni

in capit. Cumana, 50. de Elect.

ubi utramque Electionem nullam esse declarat, ex ratione, quod neutra earum comperta esset ad majorem partem totius Capituli pervenisse.

Quam nullitatis rationem repeteret dictus Pontifex Gregorius Nonus in sua decretali

relata in cap. in Genesi. 55. de Elect.

& iterum in alia sua decretali

in cap. Ecclesia vestra, 57. de Elect.

ut proinde in casu præsentiarum, in quo sola duntaxat minor pars Capituli vota sua in Eligendum direxissent, Electio nullatenus per Sanctissimum confirmanda esset.

Maximè stantibus specialibus concordatis inter S. Sedem Apostolicam, & nationem Germanicam initis, in quibus fata sedes, per contractum ultro citroq; obligatorium, expressè pacta est, se non velle in præjudicium Capitulorum Cathedralium, & Metropolitanarum Ecclesiarum Nationis Germanicæ, ullas alias Electiones confirmare, nisi quæ Canonicæ fuerint.

Ex quibus aliisque latius in hunc sensum adductis rationibus, mercenarius scripti fabricator sibi (ut opinor) prius, deinde etiam aliis persuadet, sibi jam nullam de Victoria, tanquam certa certiore, sed solum de trophæis & triumphalibus jubilis sollicitudinem superesse, de cætero rem salvam, & prætensam Postulationem Eminentissimi Domini Cardinalis de Fürstenberg, tanquam majori votorum parti
super-

superstructam, ex omni parte solemnem, Canonicam, & hinc inconcussibilem consistere.

Præclara sanè argumenta, sed non diutius, quam usq; dum fulcra, quibus ruinosa, inclinans, & caduca hæ parietina in speciem sustineri videtur, subducta fuerint perstitura: Nam esto, quod tam Canonistæ statuant, quam constitutio consilii Generalis Lateranensis, aliæque decretales subsecutæ præcipiant, ad Canonicam Electionem substantialiter requiri suffragia majoris Capituli partis; Esto pariter, Sacram Sedem Apostolicam in concordatis cum inclyta Natione Germanica initis, placidè approbâsse, ut in Metropolitanis & Cathedralibus, etiam immediate non subjectis Ecclesiis, & Monasteriis immediate subjectis Sedi Apostolicæ, fiant electiones Canonice: quid, quæso ex his omnibus vel in præjudicium canonicæ electionis Serenissimi Ducis *Josephi Clementis &c.* vel in subsidium prætensæ Postulationis Eminentissimi Domini Cardinalis quis eruere poterit? nunquid hæc ipsissima fundamenta Electionem solidissimè firmant, & insanabilem Postulationem destruunt? Quis enim unquam impugnavit, vel in dubium revocavit? quod, si suffragantes consistant in electione pura, (prout allegata jura omnia supponunt) requiratur, ut major eorum pars concurrat in unum electum, & talis deinde electione communi eligendus, ac tum pro Canonicè electo habendus sit: quoniam ratio hujus in promptu est, nimirum, quod ad actiones ordinarias à Capitulo gestas sufficiat, ut major pars Capituli concurrat & consentiat.

ut habetur expressum in cap. cum in cunctis 1. de his que sunt à mai. parte Capituli.

Sicut & ad actiones à Magistratu rectè gestas sufficit, ut major pars Curie eas efficiat, nam tunc pro eo habentur, ac si omnes egissent.

L. quod maior. 19. ff. ad municip.

Ast quid hæc ad casum nostrum extraordinarium? in quo
DD. suf-

DD. suffragantes non stant in pura Electione, sed concurrunt cum hoc medio ordinario electionis, etiam alterum extraordinarium nimirum postulationis; ergone in hoc idem jus procedet, quod ordinatum habetur ad casum ordinarium puræ duntaxat Electionis? Minime sanè rerum: Cùm enim ad acquirendam Prælaturam Ecclesiasticam varii habeantur modi; quales sunt Electio, Translatio, Postulatio, & nominatio; minùs rationabiliter verè quis statueret, si obtenderet, omnes hos modos uno eodemq; jure & formâ celebrandos ac tractandos esse, cùm vix non lippis & tonforibus nota sit regula, diversitatem factorum, diversa jura desiderare.

L. aut facta. 16. §. 3. ff. de pen. L. ut responsum. 15. C. de transact. ibi, data vel minima imparitate. Everhard. in loc. top. loc. 13. qu. 11. Gail. de arrest. imper. 1. cap. 5. nu. 5.

Præsertim verò, dum singuli præactorum modorum in jure Canonico certis suis ordinationibus & constitutionibus specialibus circumscripti, determinati, & à reliquis distincti, imò ad differentiam tantò manifestius dignoscendam, separatis & distinctis planè titulis seorsim tractati sint. Cùm itaque clarius sit, quam ut dubium patiat: longè inter se differentes esse casus, quando in uno agitur de electione purâ, in altero vero de Electione confluyente cum Postulatione, haud immerito mirari mihi subit, quòd hâc differentiâ nihil obstante, defensor prætensæ Postulationis, jura ad casum priorem tantum disposita, tam insulè ac impertinenter ad casum posteriorem extendere præsumat; & ex hoc ipso cujuslibet æqui judicii aversionem sibi comparet, consideratò, quòd juris subversioni aut interneconi nihil adèò familiare sit, quam legum extensiones ad casus omissos.

Ranchin. de success. ab intest. §. 13. nu. 18.

Et ideò non licitum sit, cerebrinis exacuationibus Leguleorum,

leorum, ea, quæ de substantia legum sunt, pro volupe suo interpretari, extendere, vel amplificare.

Cuiacius in recit. ad tit. C. de testam.

Cum id, quod lex omisit, pro omisso habendum, nec commentationibus aut argumentationibus nostris suppleandum sit.

idem ad L. I. & seq. C. de collat. circ. fin.

In cuius sequelam iura illa, quæ provisionem faciunt de remedio ordinario electionis puræ, in præsentī casu, absq; manifesta subversione, ad casum extraordinarium concurrentis Postulationis cum Electione traduci non possunt; quia verba in qualibet dispositione & omni actu intelligenda sunt secundum ordinarium cursum, nec ad id, quod extraordinario modo vel jure tantum introductum vel factum est, porrigi & protendi debent

arg. L. Scio. 10. §. medico. 1. ff. de annuis legat. Regiæ

Sextin. 1. consil. Marpurg. 10. num. 41.

Ita ut omnia ex parte adversa in hunc finem allegata jura, tanquam de casu ordinario, in quo Capitulares in sola Electione pura tractant, solum statuentia, in præsentī concursu Postulationis cum Electione, Eminentissimo Domino Cardinali de Fürstenberg prætensē Postulato nihil quidquam patrocinari valeant: habitâ ratione, quod teste Nicolao Abbate

ad cap. Scriptum. 40. de Elect. num. 7.

in multis inter se differant electio & postulatio, ita ut pro Primo, Postulatio innitatur soli gratiæ superioris dispensantis in impedimento Canonico: Electio verò innitatur juri cuidam,

ut recte observat Glossa in cap. vnic. v. eligo. de Postulat. in 6.

quod jus illico acquirit electus, dum consentit in Electionē Canonicè factam. Secundo, Postulatio respiciat personam promovendam jure Canonico inhabilem, Electio vero ha-

B

bilem:

bilem : *Tertio*, Electio dicatur confirmari ; Postulatio autem admitti à Superiore

cap. scriptum. 40. de Elect.

Quarto, electio Canonicè celebrata factà semel debità publicatione Scrutinii, non possit substantialiter alterari aut cassari àb Electoribus.

juxt. cap. publicato. 58. de Elect.

Postulatio verò etiam publicata, modo Superiori necdum sit præsentata actualiter, alterari, imò & revocari potest, ut habent Hostiens. Joan. Andr. Panorm. Engel. Passerin : & alii. *Quinto*, Electus possit absolutè consentire in sui Electionem ; Postulatus verò tantùm sub conditione Papalis dispensationis, ut habent Passerin. Lagmann, Engel & alii. *Sexto demum*, Postulatio in concursu cum Electione necessario requirat duplo majorem numerum votorum

ut est text. cum Rubrica in cap. scriptum. 40. de Elect.

Unanimis Canonistarum sententia.

Ideò quæ de Electione pura disposita sunt, ad postulationem cum ea concurrentem validè trahi nec possint, nec debeant : quoniam extensioni locus non est in casibus, in quibus non eadem, sed minor subest ratio, etiamsi versemur in materia latè alioqui interpretanda.

L. Julia. 44. §. 6. ff. de rit. nupt. Hartm. Pistor. part. 2. qu. 29. nu. 19.

ex ratione, quòd tota extensionis materia fundetur in rationis identitate, quâ cessante cessare quoque debeat extensio.

Et hoc in præsentì facti contingentia tanto minus ullam ambiguitatem patitur ; quia in jure speciales provisiones habentur, quid tam circa unum quàm alterum tenendum & firmiter statuendum sit : siquidem non minus Rubrica, quam textus substratus.

sepe dicti capit. scriptum. 40. de Elect.

claris & perspicuis verbis determinat : quod si contingat,
Postu-

Postulationem unius concurrere simul cum Electione alterius in discordia suffragantium; ita nimirum, ut unus postuletur, alter vero eligatur: tunc suffragia postulantium debeant esse duplo majora, quam eligentium; adeoque, ut inter tres partes Capitularium ad minimum, duæ concurrant in Postulatione, quod si minus, & Postulatio in tali concursu duabus tertiis destituta sit; Electio præferenda veniat, etiamsi à minori Capituli parte facta. Si vero præcisè in purâ postulatione sistant suffragantes, tenent aliqui Canonistæ sufficere ad legitimam Postulationem, ut major pars Capitularium concurrat in unum Postulatum, ita Gloss. Abbas. Hostiens. Sylvest. Panorm. Primum petitur ex dispositione juris

in rubr. & text. cap. script. 40. de Elect.

Estque ratio, quia Electio nititur viâ ordinaria, tribuitque jus Electo, Postulatio vero nititur viâ extraordinariâ & gratiâ, nullumque jus tribuit ipso facto; unde inferior habenda, & numero fulcienda est. ut discurret Zœsius

in suo jur. Canon. tit. de Postul. Prælat.

Ratio secundi est, quia, ut ante dixi, ordinariè ad actiones à Capitulo gestas, sufficit, ut major pars Capitularium concurrat & consentiat: adeo, ut in præsentis contingentiâ haud opus sit, decisionem casûs ex argumentis tam impertinenter accersitis conquirere, cum decisio in rubrica & textu decretalis ita clarè & perspicuè habeatur, ut superstiosum foret, aliam explanationem petere, cum in claris de ratione ulterius quærendum non sit.

L. ille aut ille. 25. §. cum in verbis. 1. ff. de Legat. 3. L. continuus. 137. §. cum ita. 2. ff. de V. O. Dec. cons. 503. num. 3.

Ubi enim verba sunt clara, cavillationes advocatorum non debent habere locum, etiamsi lex dura esset.

Bald. cons. 174. in fin. vol. 2.

quia in verbis claris & perspicuis, calumniosa est quæcunq;
alia interpretatio.

*idem Bald. in Auth. rogatio. col. 2. vers. namq; ubi.
C. ad Sc. Trebell. Paris Cons. 1. num. 29. in fin. &
Cons. 3. num. 53. vol. 3.*

Ac itaque jura simpliciter & præcisè majorem partem Capituli pro Electione Canonica requirementia, solummodo intelligi debeant in casu electionis puræ, quando nimirum concurrunt duæ electiones, nullâ vero ratione in concursu Postulationis cum Electione: ita ut disjecto fundamento, cui tota structura adductorum jurium adversarii, non minus improbè quam impertinenter superædificari voluit, integra machina tam magnificæ apparentiæ uno ietu concidere debeat, & nihil præter latrinam pro archivo condigno tam absurdarum ineptiarum superfit.

Sed quoniam ipsemet compilerator hujus fragilis & ex se caduci propugnaculi, sibi haud difficulter persuadere potuit; ante relata sua, à casu & facto planè dissimili mutuata jura, pro sustinenda prætenfa Postulatione Eminentissimi Domini Cardinalis de Fürstenberg haud quaquam sat valida esse, ideo ad aliud asylum confugit, & Electionem Serenissimi Ducis *Josephi Clementis Sc.* ex defectu putativo formæ pro nulla evertere fatagit, spe inani ductus, quòd hâc trajectâ & eversâ, sibi tantò facilius foret, prætenfam Postulationem altè fati Eminentissimi Domini Cardinalis quodammodo sustinere; quamobrem ad longum laumque demonstrare conatur, quod de substantia Electionis, ut talis dici posset, præcipuum esset, ut votis exquisitis, publicatis & collationatis, *Per unum, clara voce & solemniter in capitulo fiat communis electio, per verbum singularis numeri dicendo: Ego N. vice mea, & vice ac nomine eorum, qui mecum consenserunt talem eligo in Archi-Episcopum.* ita quidem ut nullus alius actus electionem importare posset, secundum probata per *Barbosam.*

de jur.

de jur. Eccl. univers. cap. 19. nu. 228.

inquietem, quod substantialiter requiratur, ut factâ collatione communis electio fiat, & quidem expressâ & clarâ voce, nec sufficiat aliquis actus eligentium, qui electionem importet, sed requirantur verba orē prolata, quod idem repeteret dictus Barbosa

in cap. sicut. de Elect. in 6.

Imo, quod de substantia sit, ut per unum fiat & pronuncietur communis electio, declarari etiam à Pontifice Nicolao Tertio, his verbis. Sicut cum per formam serutini ad Electionem proceditur, est per unum pronuncianda & facienda communis electio, secundum canonica instituta, sic & per unum debet fieri, cum per formam proceditur compromissi, alioquin à pluribus facta simul electio eo ipso viribus non subsistat: ita quidem, ut per tradita Fagnani

in cap. Quia propter. de elect. nu. 63.

& Passerini

cap. 19. qu. 5. nu. 24.

Electio per nullum alium actum æqui pollentem fieri queat, ex ratione, quod verba ad electionem fiat de substantia.

Quæ omnia de communi Electione per unum facienda non tantum procederent in casu, quo unus tantum in scrutinio esset nominatus, sed etiam in casu, quo duo vel plures in scrutinio nominati essent, quia tunc ad hoc, ut Electio posset dicti celebrata de eo, qui ab una alterave parte nominatus esset in scrutinio, substantialiter requireretur, ut unus vice sua, & eorum, qui cum ipso consenserunt, Electionem communem faciat, per verba singularis numeri, dicendo: Ego N. vice mea, & vice illorum, qui mecum consenserunt, eligo talem &c. uti punctualiter doceret Mandagor.

de Elect. in cap. 22. & in cap. 34.

Ex quibus & pluribus aliis ejusdem sensûs parergis defensor prætensæ Postulationis per omnem potentiam evincere statuit, non extare ullam Electionem pro Serenissimo Duce

Josepho Clemente factam, & consequenter frustra quæri, an eius Electio sit Canonica, aut per Sanctissimum confirmanda, cum impossibile esset, illam dici Electionem Canonicam, vel tanquam talem confirmari posse, quando nullus Electionis actus adesset, & ipsa Electio in rerum natura nunquam extitisset, sed sola duntaxat Electionis celebrandæ præparatoria, ex quibus nullum jus Serenissimo Principi *Josepho Clementi* acquiri potuisset.

Quæ omnia procederent, etiamsi communis electio per ignorantiam, oblivionem, aut inadvertentiam omissa diceretur, cum juris ignorantia non relevet à nullitate actus circa electionem commissa, propter decretum irritans in concilio Generali

Et cap. Quia propter. 42. de Elect.

adjectum in verbis; *Aliter electio facta non valeat.* cum decretum irritans afficeret & ligaret etiam ignorantes. Nec pariter excusationem mereretur, si ex parte Dominorum Capitularium Eligentium prætenderetur, se facto & culpâ Dominorum Postulantium impeditos fuisse, quo minus communem electionem per unum suæ partis in Capitulo Canonicè facerent, quia ex instrumento Notariali à fine, *Num. 1.* sub *Num. 1.* ane v. pateret, nulli eorum inhibitum fuisse, multo minus quempiam ex iis verbo aut facto impeditum, quo minus ipsorum aliquis in pleno Capitulo electionem communem faceret; dicendo paucis: *Ego N. meo Et eorum, qui mecum consenserunt nomine, Eligo Serenissimum Principem Josephum Clementem Et.*

Quandoquidem autem secundum narrata adversarii, nulla ejusmodi communis Electio ex parte Dominorum Capitularium, vota sua pro Serenissimo Duce *Josepho Clemente* dirigentium observata, sed penitus intermissa fuisset, consequens esset, Sanctissimum Dominum tali Electioni nunquam in esse perductæ nullam impertiri posse confirmationem, cum confirmari non queat, ubi nullum præ-

cxi-

existeret confirmabile, & non entis nullæ sint qualitates, & nulla prædicabilia &c.

Sed sicut de formes mulieres facie tinctæ, falsoque colore ementito sæpè formosis puellis adnumerantur: ita etiam illa, quæ falsa sunt, tam verisimiliter expoliri possunt, ut illis, quæ vera sunt, probabiliora esse videantur: Nam prætensæ Postulationis defensor adeo amplam & plausibilem struem jurium de omissione Electionis communis disponentium, in medium producit, ac si circa factum res undequaque clara, & nullum prorsus dubium superesset, sed omnia narrata sua, Evangelicâ veritate niterentur: quæ cum profundius disquisita, minùs sincera, & factò in multis non convenientia reperiuntur; satis abundè convincunt quantâ verborum caligine res involvi, & quàm artificiosâ allegationū amplitudine facti qualitas alterari velit, ut non inconcinne hujusmodi pernicioso Architecto adaptari posset id, quo Valentinus Winther

in suo Parthenio litigioso lib. 1. cap. 10. nu. 38.

fallacem litigaturientem depingit, hoc modo,

Pulchram fallendi noverat artem

Veris falsa probans: quia tantum falsa loquendo

Fallere nemo potest, veri sub imagine falsum

Insuit, & furtim deceptas occupat aures.

Quis enim non fastidiat? tam proluxa plaustra jurium audire, antequam facti certitudo edocta sit, quis nescit? inexcusso factò jura superstitionosa esse & sterilia, quia jus ex factò oritur, & ideo, nisi adest fundamentum facti, nullum potest bonæ allegationis artificium supponi, prout eleganter declarat Speculator.

§. 1. de disput. & allegat. ad-voc.

Cur ergo non potius narrata sua robore probationum firmavit, & factum cum omnibus suis qualitatibus & circumstantiis, juxta veram & sinceram rei se habentiam explanavit, priusquam præposterè ad tam immensam coacervationem

nem

nem jurium convolavit; cum enim ad decisionem cujusque
 causæ requirantur hæc tria, 1. facti propositio. 2. ejus ve-
 ritas. & 3. demum jus quod ex facto oritur, quis inficiabit?
 repugnare tam ordini quàm sinceritati, si quis à primo,
 omisso medio, mox ad ultimum transilire, & nullâ præviâ
 facti discussione, incertam juris rationem colligere laboret:
 quid quæso hoc aliud? quam si pistor modium tritici in sac-
 co paleæ ad coquendum panem acciperet, ut namque
 huic nihil aliud remedii esset, quam summo cum labore,
 triticum ex paleis colligere, sic judices ex immenso acto-
 rum productorumque Oceano, aliquot centena folia *Ein
 Niß Papier* superantium, statum causæ & facti speciem,
 perscrutari coguntur. cum potissimum rei pondus in facto
 consistat, & ideo, quamdiu factum non plene est cognitum,
 de jure non sit cogitandum.

L. 5. C. Qui admitti.

Ex ratione, quod ex levissima facti mutatione totum sæpe
 jus mutari contingat

*L. 31. ff. de excus. tut. & L. hoc legatum. 43. ff. de
 legat. 3.*

Quapropter cum non minus ridiculosum aut inconueniens
 sit, si causæ patronus informare judicem velit in jure, &
 demonstrare ex corpore juris, Gloss. aut interpretibus, quid
 de lite judicandum, ac si ægrotus Medico curam præscri-
 bere vellet ex Galeno, Hippocrate & aliis: Propugnatori
 prætenfæ Postulationis appositè cum Mynsingero

cent. 5. observat. 88. in fin.

opponendum duco: *Venite ad factum, curia enim satis intelli-
 get jura.*

Quod si fortè replicet, factum per annexum instrumen-
 tum Notariale non modo sat circumstantialiter proponi,
 sed & probari; sciendum est, hoc ipsum Notariale instru-
 mentum, quod infra sub *Num. 1.* adjunctum habetur, quæ-
 dam facta, quæ in & circa Electionis actum & negocium,

con,

contigere, minus integre continere; insuper etiam propugnatoris praetensae Postulationis assertis non convenire, adeoque in ejus opprobrium perspectum reddere, quam male is in transsumenda facti qualitate versatus sit;

Enarratur enim in eodem instrumento Notariali, quod illi Domini Domini Capitulares, qui in scrutinio vota sua in Serenissimum Ducem *Josephum Clementem* eligendum direxerant, non solum concluso Dom. Dominorum Postulantium, quo statutum fuerat, ut minora vota majoribus accederent, confestim se opposuerint, & voluerint, ut ante omnia exponeretur, quot vota pro persona Postulanda, & quot pro eligenda, vel etiam pro aliis data essent: sed etiam percepto a Dominis Scrutatoribus, tredecim vota in personam Postulandam, novem vero in Eligendam directa esse, & Dominos Postulantes praecise majoritati suffragiorum innitentes, Postulationem communem faciendam conclusisse, contra hoc protestati fuerint, & Dominus Joannes Godofridus Becquerer Canonicus, nomine suo & sibi adhaerentium eidem concluso, iterato per expressum contradixerit, asserendo primo, in hoc concursu soli Electioni, non vero Postulationi locum esse, secundo in hac Postulatione impedimentum adesse, adeoque si Postulatio publicanda foret, publicari quoque deberet Electio, vel simpliciter tantum scrutinium: multisque aliis subjunctis, protestando de omnibus gravaminibus sibi suisque associatis, & ipsi Domino Eligendo per conclusa Dominorum Postulantium illatis, & quomodolibet inferendis, atque ad Sacram Sedem Apostolicam desuper provocando.

Et quamvis praeter Eminentissimum Dominum Cardinalem de Fürstenberg, simul Dominus Comes de Rittberg, tanquam primus ex Dominis Scrutatoribus, hujusmodi oppositis Dominorum Eligentium contradixerit, sustinendo, quod per Electionem a minori parte Capituli factam nullum jus acquiri posset, & quod juxta cap. *quia propter Ec.*

C

non

non posset fieri de duabus personis publicatio, sed solum de una, & quidem de illa, in quam majora vota directa essent, hocque ad præsentem casum (uti in prædeductis demonstratum est) planè impertinenti fundamento innitendo, Postulationem communem fecerit: Nihil tamen Dominos Eligentes pro salvanda Electione meliori, quo poterant modo, intermisisse, sed iterum iterumque contra Postulationem protestando, petivisse, Electionem similiter publicari, asserendo, secus Reverendissimum & Amplissimum Dominum Becquerer paratum esse, id in vim schedulæ in manu habitæ, facere: obtentæque demum publicatione Electionis pro Serenissimo Duce *Josepho Clemente* factæ, Serenissimum Dominum Ludovicum Antonium Ducem Neoburgicum, Ordinis Teutonici Supremum Magistrum, sub cautione de rato, & obligatione de exhibendo desuper mandato, nomine altè memorati Serenissimi Ducis *Josephi Clementis*, electioni de eo factæ consensum declârassè &c. imò Dominos Eligentes contra conclusum Dominorum Postulantium de denunciatione Eminentissimi Domini Cardinalis prætensè postulati Clero & populo faciendâ non solum in domo & conclavi Capitulari, sed etiam in Ecclesia, in qua ocluso Dominis Eligentibus choro, facta denunciatio celebrata est, chorum sibi oclusum prætereundo denuo & instantissimè protestationes & contradictiones opposuisse, & ad sedem Apostolicam provocasse.

Ex quibus, aliisque tam in prætaçto Notariali instrumento latius recensitis, quàm aliundè notis circumstantiis, cuique sano & æquo iudici dijudicandum committitur, an non omne id, quidquid circa solemnitates alias requisitas, in hoc electionis actu intermissum esse, quocumque colore prætendi posset, culpâ & factò duntaxat Dominorum Postulantium, & præprimis Illustrissimi Domini Comitis de Rittberg, qui ut primus Scrutator pro faciendâ saltem Dominorum eligentium nomine, communi electione, sæpius

pius ac instanter requisitus, eam facere detrectavit, ex nimio partium studio impeditum fuerit? an non Domini Eligentes, faciendo tantum, quantum penes ipsos stetit, in tali discordia officio suo, prout modestiæ actus tam festivi & solemnis conveniens erat, laudabiliter functi sint? Cum enim textus

in cap. Quia propter. 42. de Elect.

in terminis terminantibus statuatur, & verbis expressis, claris, ac perspicuis ordinet, ad electionem celebrandam assumendos esse tres de collegio fide dignos, qui secretè, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi: certè nemo negare poterit, irrefragabilem stare sententiam, quòd electio communis seu publicatio faciendæ, officio Scrutatorum, virtute compromissi in eos limitati incumbat, & ideo in præsentis casu Electionis Coloniensis, ex culpa & inconsulta renitentia Domini Comitum de Rittberg primi Scrutatoris, certè non potest præjudicari juri Serenissimi Ducis *Josephi Clementis*, in certa saltem spe obtinendæ prælationis fundato: quia iniquissimum foret ex culpa & facto unius alterum prægravare.

L. ex duobus. 27. in fin. ff. de negot. gest. L. si ve hereditaria. 22. ff. eod. L. si quis in suo. 33. §. legis I. C. de inoff. test. cap. si compromissarius. 37. de Elect. in 6.

Quibus æquâ lance perpenis ac ponderatis, nullâ sanâ ratione evinci poterit; Electionem altè memorati Serenissimi Ducis *Josephi Clementis* irritam & cassandam esse, ex hoc defectu, quòd publicatio scrutinii, seu electio communis, non facta fuerit iisdem formalibus, quæ Canonistæ aliàs præscribunt; quoniam pro Primo saltem facta est per verba æquipollentia, enunciata per Dominum Scrutatorem his formalibus: *Quod Serenissimus Dux Josephus Clemens vota novem habuerit*, quæ enunciatio in publico facta, tantò magis in locū electionis communis succedere potest & debet;

quia eandem Domini eligentes tūm simul omnes, tūm per Dominum Canonicum Becquerer confirmârunt, afferendo, quod hâc stante, Postulationi concurrenti ex eo; quod hâc requisitis duabus votorum tertiis destituta sit, locus esse nequeat; & ita electionem communem saltem verbis æqui pollentibus suppleverint; jure autem expressè cautum habetur, verborum æquipollentium eandem vim esse atque potestatem.

L. mulier. 22. in pr. ff. ad S. C. Treb. L. Gallus. 29. §. Et quid. 5. ff. de lib. Et Postb. Rauch. I. qu. 2. nu. 17. cit. à Carpz. 5. Resp. 10. nu. 20.

Secundò, posito, quod hâc æqui pollentia non sufficeret, ad constituendam electionem communem, ex eo tamen minimè sequeretur, Electionis actum ided vitari, quia ex facto clarum est, quod is, qui nomine Capituli electionem hujusmodi facere debuisset, nimirum Primus ex Dominis Scrutatoribus, toties ac tam instanter requisitus, ut illam si non suo, saltem, prout tenebatur, Dominorum eligentium nomine faceret, ex inconsulto, erga Eminentissimum Dominum Competitorem prætensè postulatam affectu, eam facere detrectârit, & Domini eligentes idcirco ad Sac. Sedem Apostolicam provocârint, quo in casu Idolum adversarii Passerinus

cap. 19. qu. 5. num. 31. Et 32.

cum aliis multis statuit, Electionem non irritari, sed implorari posse officium Superioris, qui in hoc nostro casu est Summus Pontifex, ut præfatum Scrutatoreni malè consultum, ac injustè renisum, ad faciendam communi eligentium nomine electionem compellat; nisi S. Pontifex hunc defectum, prout plerumque solèt, sanare per se vellet.

De quorum uno aut altero obtinendo tantò minus diffidendum, quia *Tertiò*, ratio, ob quam Dominus Comes de Rittberg primus Scrutator præstationem Electionis communis in forma requisita, faciendam recusavit, injusta est, & le-

& legibus reprobata, affererat enim, se talem ex obstaculo
dispositionis conciliaris

in cap. Quia propter. 42. de Elect.

facere non posse, habitâ ratione, quod hæc dispositio præ-
ciperet, eum, pro quo major pars suffragiorum staret, in
electione communi, & non alium publicandum esse: con-
trâ quam malè fundatam rationem in ante deductis jam ex
solidis fundamentis remonstratum est, dictam dispositionem
conciliarem

in cap. quia propter. 42. de Elect.

solum & præcisè statuere de casu electionis puræ, nullatenus
verò de tali, in quo concurrat Postulatio cum Electione.
Quo ipsum *Quartò* argumento inexpugnabili evincitur ex
hoc, quòd, etsi tutius, non tamen simpliciter necessarium
sit, ut ad solemnem Postulationem forma scrutinii, & aliæ
legales solemnitates ad Electionem requisitæ adhibeantur;
sed sufficiat, ut Postulatio fiat in concordia duarum partium
Capituli, vel, ut aliqui sentiunt, si Postulatio cum electione
non concurrat, in concordia majoris Capituli partis:

*ita post Hostiens. Sylv. Franc. Pirhing, & Lay-
mannum, Sannig in Schol. Canon. ad tit. de Postulat.
Prelat. cap. 4. §. 2.*

quod procedere seu de jure subsistere non posset, si ea, quæ
in sæpius facta dispositione conciliari

cit. cap. quia propter. 42. de Elect.

ordinata habentur, & quidem sub decreto irritante præ-
cepta sunt, tam postulationis, quàm electionis processum
respicerent; habitâ ratione, quòd expressè annexum sit
decretum irritans, ut processus Electionis aliter, quàm
juxta inibi legaliter præscriptam formam celebratus non
valere debeat.

Nec etiam *Quintò* obesse, aut actum vitare potest, quòd
per defensorem prætensæ Postulationis obmovetur, nimi-
rum nihil Dominis Eligentibus obstitisse impedi-

menti, quo minus electionem communem per unum ex suo numero fieri facere potuissent : Ad hoc enim respondetur, quod hoc officii erat Dominorum Scrutatorum, non etiam alterius cujuscumque (ut ante jam allegavi) ipsa dispositio conciliaris

in saepe citat. cap. quia propter. 42. de Elect.

pro forma legali, adeoque sine vitio nullitatis non transgressibili statuit, ad celebrandam electionem, assumendos esse tres de Collegio fide dignos, ad hoc, *ut post secretè & sigillatim diligenter exquisita, atq; in scriptis redacta vota cunctorum, ea in communi publicent* : ita ut promulgatio hæc, quæ de forma in lege præscripta officio Scrutatorum, Compromisso Capitularium omnium ad id specialiter instructorum incumbit, à nullo alio valdè peragi potuisset. Et posito demum *Sexto*, quod electio communis valdè per alium, quam per instructos Scrutatores fieri potuisset, nihilominus tamen intermissio ejus haud quaquam obesse vel actum vitare posset, quia in culpam trahi non potest ommissio ejus, ad quod faciendum quis non tenebatur.

Tabor. in thesaur. locor. commun. lib. 3. cap. 73. axiom. 17.

His insuper conjungere placet, dubium, quod istis diebus Author ignotus sub nomine ficto Simpliciani Alithophili, ineptiis à propugnatore prætensæ postulationis, contra Electionem Serenissimi Ducis *Josephi Clementis* evomit obmovit, quod in suo Syllabo hoc modo clangit : In specie facti exaggeratur præprimis, Electionem Serenissimi Ducis *Josephi Clementis* non esse factam communi nomine, consequenter non tam dicendam electionem, quam nominationem, ideoque non posse à S. Pontifice confirmari ut talem, cum per eam non conferatur Electo Jus ad illud, quod aliàs Electio Canonica tribuere solet, statuente id S. Concilio Lateranensi cum tanto rigore ad præscindendas universim ac semper varietates àb ambitione humana in-

ele-

electionibus excogitabiles & ad evitandas lites, quæ inter Electos continuo exoriebantur, ut ipsa Lateranensis Synodus aperte profitetur: Unde non spernendum mihi dubium oritur, an Electio communis tunc quoque necessario fieri debeat, quando Electio non fit à majore Capituli parte, neque dat jus, quod Electus per litem prosequi valeat, sed in concursu Postulationis duabus tertiis destitutæ, spem certam solummodo fundat obtinendæ à S. Sede gratiosæ prælationis: Secus atque in casu *cap. quia propter*. Ubi Concilium Lateranense, loquens de Electione communi, sollicitè caver, ut ille (quasi diceret *Et non alius*) eligatur electione illâ communi, qui à majore & Saniore parte fuerit electus, ne continuo jurgia in Capitulis oriri possent, dum quivis votorum aliquot compos, eligi, tricasque ac lites excitare vellet, Præterquam quod ea verba: *Ego meo & coeligentium meorum nomine eligo in Archi-Episcopum Colonensem, e. g. Serenissimum Ducem Josephum Clementem &c.* in quibus consistit essentia Electionis communis, auctoritatem Capituli, qua pro jure suo confert jus ad Archi-Episcopatum, denotare videantur. Video quidem in sæpedicta specie facti sustineri ab ejusdem architectis, quod secundum Passerinum.

de Elect. c. 31. qu. 2. nu. 9.

etiam quando quis à minore parte eligitur, electio communis fieri debeat: sed loquitur Passerinus de casu, quo *major pars processit ad electionem indigni factam ab uno nomine omnium*, & consequenter pro illa vice suo eligendi jure excidit, totumque Jus electionis penes alteram partem minorem remansit: quo casu, cum pars illa minor censetur pro toto Capitulo, ejusque Electio, veluti per totum Canonica, jus det Electo non minus, quam si à majore parte electus fuisset. In præsentis casu, quo non indignus, sed dignior postularus asseritur, quæso, quid de jure dicendum? *huc usq. Alitrophilus.* Insanum certè est quod ultro
affer;

affertur, nimirum Sanctissimum Dominum nostrum Electionem Serenissimi Ducis *Josephi Clementis* ob prætensum defectum electionis communis, confirmare non posse: quasi verò potestas summi Principis adeo arctè circumscripta esset, ut àb arbitrio unius vel alterius Mercenarii Legulei dependere deberet, & ac si in facultate esset compilatoris, in defensionem immaturæ Postulationis commentarum ineptiarum, jurastatuentia, quòd summus Princeps scienter confirmans actum nullum, præter confirmationem etiam addat, ut actus non pereat, sed valere debeat,

L. adoptio. 38. ff. de adopt. §. fin. Instit. de tutel. Gail. lib. 2. observ. 1. num. 18.

uno ictu expungere? præsertim cum suæ Sanctitati tantò minus quicquam obstat, quo minus talem confirmationem gratiosissime, & quidem validè impertiri valeat, ex ratione, quia per eam nullius cujusquam juri quæsito præjudicet; Etsi enim ex instrumento Notariali appareat, Dominos Dominos Eligentes publicationi votorum in Serenissimum Ducem *Josephum Clementem* Directorum, cum hac annexa protestatione consensum dedisse, ut Eminentissimo Domino prætenso Postulato sine præjudicio fieret; hæc tamen protestatio nullam reflexionem de jure meretur: quia protestatio interposita super eo, quod non dependet à voluntate partium, sed ex dispositione juris, protestantem non relevat.

Guid. Pap. qu. 72. nu. 2. Schulz. obs. 48. num. 16. Carpz. part. 1. const. 11. defn. 11. num. 4.

Ad hæc inanis erat sollicitudo, jus Eminentissimi Domini Cardinalis per protestationem conservandi, cujus nec umbra quidem extitit; attento, quòd teste Laymanno

in theolog. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 12. num. 9. vers. differunt secundo

in hujusmodi contingentiis notabilis fit differentia inter Electionem & Postulationem, cum Electo, si idoneus est, & nullus

nullus defectus apparet vel opponitur, per electionem jus acquiratur saltem inchoatum, per Postulationem verò nullum jus acquirat Postulatus: prout ipsemet textus

in cap. Postulationem. 5. de Postul. Prælat.

comprobat; cujus rei ratio est, quòd Postulatio, uti post Gregor. Tholos. & alios Abbas ad cap. Scriptum. 40. de Elect. nu. 7.

tradit, & communis est Canonistarum Schola, nec minus in praxi servatum, nitatur mera gratiâ superioris dispensantis in impedimento Canonico, ad quam dandam nemo cogitur; adeo ut à Superiore sine cujusquam injuria rejici & non admitti possit.

Ex hoc itaque cribro veritatis luculenter dignoscere poterit lector, quantâ caligine per improbum fabricatorem malè fundatæ defensionis circa factum vera rei se habentia obvoluta, & quam impertinenter jura desuper adstructa curvata ac flexa sint: quamque immobilis, legalis & canonica Electio Serenissimi Ducis Josephi Clementis, solidis suis jurium firmamentis innixa persistat, ac omnes sagittas ex arcu invidiæ in eam detortas eludat, satis sibi cognitum habens, quòd uno veluti partu nascantur honor & livor: & idèò frequens sit, quòd ubi novi cumulantur honores, ibi fremat invidia, ut quæ Piraticæ est indolis, & vacuis navibus parcat, onustas infestat.

Faberius in Alphab. Morali Polit. sub verb. invidia. axiom. 10. § 14.

Sed supersunt adhuc plures acies, quæ ad prælium evocant, nam infirmus Postulationis propugnator, dum aggeres impertinentium allegationum disjectos & expugnatos conspicit, ab interpretatione heterogenia & improba jurium, novum auxilium petit, ac sensum decretalis

in cap. scriptum. 40. de Elect.

dirum in modum dilaniat, ut non ineptè de illo dici potest, quod Valentinus Butcher

D

in

in Parthenio litigioso lib. 2. cap. 7. num. 23.

de improbis advocatis scribit hoc modo : Quod legibus & responsis Juris Consultorum mutantur instar corii sutorum. Nam quemadmodum hi dentibus alutam producant, & corium si densius vel brevius sit, quam conveniebat, dentium morsibus fricant, stringunt, distendunt : sic rabule in dilatandis prudentum responsis, & Cesarum Legibus faciunt, donec proposito reddant accommodas. Certè hoc àb adversario dictæ decretali hodie obtingit; dicit enim, quamvis nonnulli contenderent, quòd electio minoris partis Capituli in concursu Postulationis non habentis duas tertias, sed solam majorem Capituli partem soleat præferri & confirmari : opinionemque hanc in jure Canonico

cap. Scriptum. 40. de Election.

fundari posse existimarent : error tamen esset & facti & juris apertissimus : quem ut totus orbis agnosceret, reflectendum esse.

Primò, quòd dispositio Capituli Scriptum. contineret specialem commissionem àb Innocentio Tertio Pontifice factam, Magistro maximo Notario suo (hodie Prothonotario dicto) in causa electionis celebratæ à minori parte de Plebano S. Pauli de Venetiis, ad Ecclesiam Constantinopolitanam, & postulationis Archi-Episcopi Eradiensis ad eandam Constantinopolitanam Ecclesiam per majorem partem factæ.

Notandum secundò, quòd hæc commissio emanasset à dicto Pontifice Innocentio Tertio ante indicationem Concilii Generalis Lateranensis, prout pateret ex ordine decretalium in titulo de electionibus registrarum, ubi capit. Scriptum &c. esset decretalis in ordine 40. quam demum sequerentur Capitula in Concilio Generali Lateranensi publicata, & ad numerum decretalium relata : cap. Ne pro defectu 41. Quia propter. 42. Quisquis. 43. Nihil. 44. postmodum subjicerentur ordinata per immediatum Innocentii

centii successorem Honorium Tertium. *cap. ut preterita. 45. Cum post. 46. Constitutis. 47. Ecclesia vestra. 48.* ac demum subneckerentur ordinata per Gregorium Nonum, Honorii successorem. *cap. cum in. 49.* cum reliquis usque ad finem tituli inclusivè.

Notandum *Tertio*, quod Concilium Lateranense àb eodem Innocentio Tertio celebratum fuisset, anno eius Pontificatus decimo octavo, à nato Salvatore 1215.

Notandum *Quarto*, quod mors ejusdem Innocentii supervenisset An. 1216. & successores habuisset Honorium Tertium, & post eum Gregorium Nonum.

Notandum *Quinto*, quod demum in dicto Concilio generali de An. 1215. immediatè ante Innocentii Tertii obitum, generalis illa ordinatio de nova hac forma in electionibus celebrandis perpetuo observanda, per eundem Innocentium adinventà, & in concilio publicata fuisset iisdem planè formalibus, pro ut ex eodem concilio ad ordinem decretalium *in cap. quia propter. 42.* esset translata.

In qua conciliari dispositione, cum disertè statueretur, ut imposterum perpetuis futuris temporibus nullæ aliæ electiones valeant, quàm quæ à majori & saniori parte Capituli juxta formam Conciliarem celebratæ fuerint, sequeretur irrefragabiliter, quod specialis ordinatio *in cap. scriptum* expressa totaliter abolita, neque in antea nunquam ad similes casus pro jure communi extendenda, sed ad suos duntaxat terminos restringenda. Cum enim in concilio nova fuisset forma adinventà, publicatà cum adjecto decreto irritante, quod oculos haberet ante & retro: post hujusmodi novam & perpetuam conciliarem dispositionem, cum specifica abrogatione, & cassatione quarumcunque aliarum formarum, nihil turpius allegari posset, quàm in præsentiarum allegare velle jus in Concilio generali abrogatum, si verum esset, quod capitulum *Scriptum*. Jus commune antea continuisset. Et hinc esset, quod Pontifices, qui im-

mediate Innocentium secuti fuissent, inter quos Gregorius Nonus in ordine secundus esset, in suis post Concilium generale factis decretalibus, occurrente casu electionum à minori parte celebratarum, tales electiones semper declarassent irritas, adjectâ ratione, *quia in Concilio generali Lateranensi expressè ordinatum & statutum fuisset, ut nullæ electiones in antea perpetuis futuris temporibus pro Canonicis haberentur, aut confirmarentur, nisi à majori parte Capituli essent celebratæ.* Consequenter cum inter S. Sedem Apostolicam, & inclytam nationem Germanicam, ad tollendas omnes difficultates, quæ occasione Electionum in Cathedralibus, & Metropolitanis Ecclesiis non raro, in earundem desolationem exoriebantur, An. 1448. specialia concordata subsecuta essent, in iisque expressè pactum & concordatum fuisset, quòd nullæ electiones confirmari deberent à Sanctissimo, nisi forent Canonice, sequela esset & maneret infallibilis, quòd Sanctissimus Dominus noster electionem Serenissimi Ducis Josephi Clementis, quæ à majori parte Capituli celebrata non esset, & ideo Canonica dici non posset, nunquam confirmaturus esset.

Proinde quidquid cum vacillatione scripisset Panormitanus in dicto Capitulo *Scriptum &c.* quidquid etiam alii ejus sequaces de observantia & Stylo Curie Romanæ allegent, quasi curia soleat electionem minoris partis præferre postulationi per majorem Capituli partem solemniter factæ de persona habili; & idonea; attamen certum esset, in Germania nullum dari posse exemplum, similem electionem minoris partis, contradicente & opponente majore parte Capituli, cum causæ cognitione per viam Justitiæ, rejecta solemnî & Canonice Postulatione digni, confirmatam fuisse aut confirmari posse, stantibus concordatis, quæ non patiuntur, ut opponente majore parte capituli minoris partis electio confirmatur, nisi forsan major pars Capituli vel contra formam conciliarem peccasset, vel indignam elegisset.

Qui

Quinimo, quòd postulati à majore parte Capituli in Cathedralibus & Metropolitanis Ecclesiis Germaniæ admitti hætenus fuissent, rejectâ electione minoris partis, exempla probarent quam plurima, è quorum numero singularem reflexionem mereretur Postulatio Joannis Marchionis Badensis, qui An. 1456. 21. Junii, atque ita aliquot annis post inita concordata, in Archi-Episcopum Trevirensis à Majori parte Capituli Postulatus, confestim agitatis tintinnabulis in aram summam collocatus, *Et non obstante contradictione Dietherii ab Iffenburg à minori parte Electi*, in possessionem Ecclesiæ, & totius Patriæ Trevirensis immissus, subsequenter à Pontifice confirmatus, tandemque Anno 1459. ab invictissimo Imperatore Friderico Regalibus investitus fuisse.

Evidentissimo quoque indicio, quòd in Germania nulla unquam habita fuisset ratio electionis à minori parte celebratæ, *etiam in concursu Postulationis* testatos fuisse id ipsum Augustissimos Cæsares, & inter cæteros quidem novissimè Ferdinandum Tertium gloriosissimæ memoriæ, qui in literis ad Cardinalem Columnam datis, pro Carolo Casparo à Petra in Coadjutorem Trevirensis cum futura successione sub suæ Sanctitatis bene placito, nominato, in concursu Hugonis Eberhardi Cratz per minorem partem designati successoris, solam majorem Capituli partem in electionum negotiis ex inveterata Germaniæ observantia semper consideratam fuisse, & considerari debere, prudentissimè moneret, sequenti verborum tenore; *Cum uterq; præ-tendens causam suam nobis diligenter Et exposuerit Et recommendarit, Et nos maturè ac sollicitè id negotii, prout ejus gravitas meretur, de litera verimus: sicut igitur Sanctitati suæ in his, quæ ad cognitionem pertinent, quicquam detrahere vel derogare non intendimus, ita sanè cum res novi in Germania ac plane periculosi foret exempli, si in hoc vel simili casu majora vota in dubium vel disputationem vocarentur: hoc præsertim tempore,*

quo sopitis, quæ Catholicis cum A Catholicis intercedebant (non sine ingenti quod dolemus jactura) motibus ex hac Catholici inter se ad presentaneam non minus uniuersæ Reipublicæ Catholicæ in Germania, quam illius Archi-Episcopatus in consinibus belligerantium adhuc inter se & Christianissimi Regis siti, ruinam committi possent, eique rei prævertere tum suam imprimis Sanctitatem, tum nos quoque ex officio Imperatorii nostri muneris omnino deceat, benignè ac benevolè Reverendissimam Paternitatem vestram requirimus, ut in his ad suam Sanctitatem accuratè referre, idque omni impensiori cura agere velit, ut siquidem id omitti non possit, sua Sanctitas processum informativum super prælibatâ electione à Petra, sine dilatione formari, ac totum negocium ex usu consueto Germaniæ, & prout Salus & incolumitas Reipublicæ Catholicæ in Germania postulat, quantoocius terminari curet.

In Archidiæcesi Coloniensi res quoque clara esset, & adeo perspicua, ut in legem patriæ fundamentalem transivisset & pro unico ac indispensabili conservandæ Archidiæcesis remedio, lege publica Anno 1462. sancitum esset, quòd omnes Patriæ status & subditi illum duntaxat, pro Archi-Episcopo & Domino suo recognoscere deberent, qui à majore parte Capituli fuerit electus aut postulatus; cujus unionis verba sequentia essent. Item quando capitulum concorditer, vel quando major pars capituli Dominum elegit, si tunc aliquis, qualiscunque ille fuerit, intra vel extra Capitulum, in tali electione discordiam excitaret, & dissensionem in patria causaret, ex tunc Nobiles, & Ordo Equestris, civitates & uniuersa Patria, Domino Electo obedientiam præstare debent, quilibet secundum conditionem sui status, & Dominum in Archiepiscopatu defendere, & hujus rei Dominus ipsis erit caput.

Et quòd cap. Scriptum &c. non contineret jus commune observandum in similibus casibus, sed quòd ibidem sit facta specialis provisio per Innocentium Tertium de consensu ambarum partium contendentium, doceret ipsa clara lit-

ra littera, in qua Pontifex Notario suo (quem hodie Prothonotarium diceremus) committeret, & per Apostolica scripta mandaret, ut super omnibus coram sua Sanctitate, ab utraque parte propositis, non tamen sufficienter probatis, veritatem diligentissime inquireret, *Primo* de meritis tam Electi, quam Postulati, *secundo* de meritis Eligentium & Postulantium; Ac *tertio* generaliter de omnibus quæ causam eligentium & postulantium instruere possent. Et denique *Quarto* si partes consenserint, procedat hoc modo, ut si constiterit de mutuo convenisse consensu &c. Tunc si postulatio non habeat duplo majorem numerum, Electionem Plebani confirmaret &c. ex qua verborum structura sole clarius elucesceret, provisionem istam non continere jus commune, sequendum in similibus casibus, sed esse specialem, pro eò solo casu factam provisionem de partium consensu, sicuti bene ibidem advertisset Glossa in verbo *confirmes* &c. hisce formalibus.

Propter hæc & alia, quæ hic dicuntur, dicunt quidam; quod hæc decretalis jus commune non continet, sed fuit quædam provisio de consensu partium, & hoc vero per verba illa superius, si partes consenserint, hoc modo procedas. Et eo, quod Papa admittit hic postulationem in discordia factam, cum per eam nullum jus acquiratur Postulato, supra de Postul. cap. penult. Et quia non consuevit admittere tales postulationes in tanta discordia, supra de Postul. cap. bonæ memorie &c. sed ubi duæ partes postulant aliquem, licet jus non acquiratur postulato, ut agere possit, tamen potest petere gratiam, & injuria fit ei, si non fiat ei gratia. Arg. ff. de æqua quotid. §. est. l. i. §. permittitur, de hoc notat. supra de postul. §. cap. penultimo, & ultimo. Et idem crederem, si major pars postulat, quod gratiam deberet habere.

Glossam sequeretur Passerinus

de Elect. cap. 24. quest. 15.

qui intellectum dicti Capituli scriptum &c. ex professio fundamentaliter excussisset, concludens in hæc verba:

Sed

Sed glossa in verb. *confirmes* &c. existimat, quod haec decretalis jus commune non contineat. Sed quod fuerit provisio quaedam facta de consensu partium, quod constat ex illis verbis textus, Et si partes consenserint procedas hoc modo &c. Unde apparet, quod totus modus procedendi in casu illius decretalis, qui subsequitur ad illa verba, Et si partes consenserint &c. dependet a partium consensu, & quod id, quod in ea decretali decernitur non conformiter ad regulas juris communis fuit provisio pro illo casu sumpta accedente tamen consensu partium. Et haec opinio glossae est vera & fundata, ne dum ex ratione dicta, sed quia aliter textus ille est intelligibilis. Quam ob rem dicendum est, illam non continere jus commune, sed particularem provisionem sumptam de consensu partium.

Amictæ quidem rutilant lampades, sed oleo deficiente, lumine carent; Quid enim pro *Primò* ad rem faciat? quod dispositio *cap. Scriptum*; occasione exortæ tunc discordiæ in Ecclesia Constantinopolitana propter concursum Electionis & postulationis emanaverit, & Pontifex summus suo Magistro Maximo (qualis hodie Prothonotarius dicitur) secundum formam in hac decretali præscriptam, causam inter Eligentes & Postulantes vertentem, decidere mandaverit; certè non video. Neque *Secundò* perspicere possum, quid concludat? quod facta dispositio capituli *Scriptum* &c. ad huc ante indictionem Concilii generalis Lateranensis emanaverit. Nec quid *Tertio* ex eo eruendum? quod modo dictum Concilium Generale àb Innocentio Tertio Pontifice Max. Anno Christi 1215. celebratum sit; Itemque quod *Quartò* mors ejusdem Innocentii An. 1216. supervenerit, ipse autem successores habuerit Honorium Tertium, & & post hunc, Gregorium Nonum. Uti nec *Quintò* quidquam ad rem inferre video, quod alitè memoratus Pontifex Innocentius Tertius, ante obitum suum ordinationem de forma in celebrandis Electionibus servanda invenerit, ac in Concilio Generali iisdem planè formalibus, quibus ex eodem

eodem Concilio ad ordinem decretalium in cap. Quia propter &c. translata est, publicari fecerit;

At quod per hanc conciliarem dispositionem & adinventam formam, in celebrandis Electionibus puris servandam, anterior dispositio decretalis in cap. scriptum. de speciali casu extraordinario, concurrentis nimirum Electionis cum Postulatione, ordinans, & provisionem faciens, sublata & abolita sit, id perniciosus est error, quoniam hoc neque ullo solido & sano argumento evinci, multo minus ex sensu literali demonstrari poterit.

Primo enim nec in rubro nec nigro dictæ Conciliaris dispositionis

in cap. Quia propter. 42. de Elect.

ne jota quidem de tali abolitione & cassatione expressum reperitur, unde rationabiliter etiam præsumenda non est, cum secundum regulam illam Livianam.

Histor. lib. 4.

Nihil ex antiquo motum probabile sit; & hoc præsertim in legum Constitutionibus, in quibus procedit regula: quod Legis verba ubi deficiunt, ibi quoque deficiat legis dispositio

L. 4. §. toties. 6. ff. de damn. infect. Carpz. part. 2. Const. 15. de fin. 12. num. 1.

Etsi enim Secundo dispositio conciliaris sæpè dicti cap. Quia propter &c. secum continet, in electionibus celebrandis semper observandum esse, ut electio non nisi à majori parte Capituli facta pro Canonica habeatur: Hoc tamen intelligendum solummodo est regulariter, & in modo ordinario, quando decidendum est de Prælatione inter duos vel plures eligibiles tantum; nullâ ratione verò procedit hæc provisio in casu tali singulari, in quo modus ordinarius, id est electio, concurrat cum extraordinario, qualis est postulatio; ut in quo casu speciali, decretalis illa provisio in sæpe fato capitulo Scriptum &c. (quod continet jus scriptum in hujus-

E modi

modi casibus observandum,) procedit & locum fortitur :
 Quandoquidem enim Concilium Generale Lateranense per-
 pendit, tot in Capitulis Cathedralibus & Metropolitanis,
 in casibus electionum exoriri jurgia & contentiones : dum
 quilibet aliquot votorum compos, uligi, tricasque ac lites
 movere volebat, ejusmodi jurgia præscindere volens, mo-
 dum certum statuit, nimirum, ut per electionem commu-
 nem ille eligeretur, & promulgaretur pro electo, qui à ma-
 jore & saniore Capituli parte electus fuerit : quæ dispo-
 sitio conciliaris autem, quemadmodum ad casum duntaxat
 ordinarium & regularem, in quo suffragantes præcisè in
 pura Electione sistunt, ordinata est, ita nullâ prorsus sanâ
 ratione ad casum talem extraordinarium & specialem con-
 currentis electionis cum postulatione extendi potest ac de-
 bet : attentis primò juribus

*in L. 64. §. de viro. ff. solut. matrimon. L. 10. de
 liber. & Posthum. L. 19. C. de collat. Tiraq. de pen.
 temp. 2. §. 61.*

expressè statuentibus, quod casus à lege specialiter non ex-
 pressus, pro omisso habendus sit : id quod *secundò* tantò
 minùs dubium patitur in hujusmodi facti contingentia,
 qualis est casus præsens Electionis concurrentis cum Postu-
 latione, ad quam specialis præexistit provisio juris, quâ

in sepius fat. cap. scriptum. 40. de Elect.

solicite cautum habetur, quòd Postulatio ad hoc, ut præ-
 ferri possit electioni, debeat suffulta esse votis duplo ma-
 joribus, secus verò præferenda sit Electio, etiamsi à mi-
 nore Capituli parte facta, adeo, ut nova illa dispositio con-
 ciliaris.

in cap. Quia propter. 42. de Elect.

tanquam casum duntaxat ordinarium Electionis puræ re-
 spiciens & concernens, cum altera decretali

in cap. scriptum. 40. de Elect.

tanquam priore, & ad casum plane separatam ordinata.

con-

confundi non debeat, quoniam lex nova secundum legem antiquam distingui & intelligi debet:

L. non est novum. 26. L. sed & posteriores. 28. ff. de Legib. Gloss. & Bart. in L. sciendum. in pr. ff. qui satisfac. cog. cum aliis citat. per Octav. Cacheran. in decis. pedemont. 167. nu. 17. cum seq.

Unde etiam trita illa, & vix non tyronibus nota habetur juris Regula: quod leges & jura legibus & juribus concordanda sint, nec per unum verbum obiter prolatum juris regulæ derogari debeat.

L. unic. C. de inoffic. dot. Pinell. ad L. 1. p. 3. nu. 82. C. de bon. matern. Philipp. Matth. 2. cons. Marpurg. 26. nu. 75.

Etsi enim regulæ huic opponi vellet, quod lex posterior tempore, sit validior sanctione, & vincat priorem: attamen pro Tertio hoc tum demum procedit & locum habet, quando leges priores & posteriores revera & adeo inter se essent contrariæ & repugnantes, ut conciliationem non admitterent, secus autem in tali casu, in quo leges solummodo viderentur contrariæ, tunc enim posterior ad priorem trahi solet.

L. 26. ff. de Legib.

Ratio omnibus, & vix non illis, qui jura à limine primò salutarunt, nota est, nimirum quod correctio jurium adeo sit exosa, ut

in cap. cum expediat. 29. de Elect. in 6. L. si quando. 35. ff. de inoffic. testam. L. 1. C. de inoffic. dot. L. precipimus. 32. in fin. C. de Appallat.

singulariter provisum sit, quod correctio juris in omni interpretatione vitanda sit, ne jura, tot vigiliis fabricata, unico ictu tollantur. quam ob causam Rom.

consil. 322. in caus. num. 2.

sustinere nititur, procedere hanc regulam, quod jurium correctio vitanda sit, etiamsi lex posterior contraria haberet

clausulam derogativam, *Non obstante*, quia adhuc correctio non sumitur, si potest fieri conciliatio: Quemadmodum igitur in præfenti puncto quæstionis, per hoc, quòd in casu extraordinario concurrentis electionis cum postulatione secundum tenorem & formam capituli *scriptum &c.* procedatur: & à minori parte Capituli electus, à majore parte Postulato, requisitis tamen duabus tertiis votorum destituito præferatur, dispositioni Conciliari *in cap. Quia propter &c.* nihil prorsus derogatur, quo minus in casu ordinario, in quo præcisè in pura electione sistunt suffragantes, secundum litteram dictæ dispositionis conciliaris procedi, & inter eligibiles ille præ cæteris eligi possit, in quem major & Sanior Capituli pars vota direxit, ita nec umbra sanæ rationis vel ex littera vel ex sensu Capituli *Quia propter &c.* erui potest, quæ vel ideam de abolitione seu cassatione toties facti Capituli *scriptum &c.* perhiberet.

Qua propter *Quarto* pro confesso acceptatur, quòd infirmus propugnator umbratilis Postulationis asserit, dispositionem Conciliarem capituli *Quia propter &c.* sub Pontifice Innocentio Tertio (à quo etiam sanctio decretalis *in Capitulo scriptum &c.* paulo ante emanaverat) latam & ordinatam esse: ex quo ipso tantò firmiter argumentum resultat, dispositionem conciliarem posteriorem, haud quamquam in abolitionem decretalis prioris adornatam esse, siquidem de Principe tam eximiæ Prudentiæ, qualis præfatus Pontifex Innocentius àb ipsomet adversario deprædicatur, ejusmodi levitas, variatio & inconstantia in suis decretis & sanctionibus nequaquam præsumenda est, habitâ consideratione, quòd secundum Claudium Consulem Romanum.

apud Livium. lib. 3. cap. 21.

levius vaniusque sit, sua decreta & consulta tollere, quam aliorum, quia per id aut imprudentiæ aut inconstantia infalli-

fallibile indicium proditur : quamobrem quoque Gram-
mondus

Histor. Gallica lib. 1. pag. 76.

in mores patrios circa facilem legum suarum mutationem
invehitur, his verbis : *quid aliud est, leges constituere statim
pravo usu abrogandos, quam nomen Regium, quod prae se ferunt
habere in ludibrium ?* Quibus perpensis rationabiliter sibi
nemo facile persuadebit, tantum Principem, qualis est sum-
mus Pontifex, autoritatis suae per legis propriae abroga-
tionem esse violatorem, certum est & infallibile, quod nihil
Majestati magis adversetur, quam propriarum legum spon-
tanea abrogatio & sublatio, prout Knichen

in oper. Polit. lib. 2. part. 1. cap. 11. thes. 14.

testatur, & ideo verisimile non est, quod quis suam disposi-
tionem voluerit illicò corrigere.

Gemin. Conf. 88. in fin. vers. item cum Papa.

Imò, quod Quinto per dispositiones Concilii Generalis, de-
cretales anteriores, quae dictis dispositionibus conciliari-
bus revera & expressè non contrapugnant, sed cum iisdem
actionabiliter conciliari possunt, & compatibles sunt, non
abrogatae sint, sed in suo priori vigore persistant, praecclare
testatur Pontifex Bonifacius

in decretali. capit. cum expediat. 29. de Elect. in 6.

hoc modo statuens : *cum expediat concordare jura juribus, &
eorum correctiones (si sustineri valeant) evitari. Decretalem
felicitis recordationis Innocentii Papae Tertii praedecessoris nostri,
quae innuit, sub ea forma posse in electionibus licite compromitti, ut
compromissarii secretè & sigillatim voluntatibus omnium inquisi-
tis, illum, in quem major & sanior pars capituli consenserit, eli-
gere teneantur : declaramus abrogatam non esse per subsecutum
concilium generale : imò potest in ipsis electionibus ut prius pro-
cedi, licite per eandem.*

Hæc quomodo placent adversario, nunquid ne ad huc
sustinebit ? per dispositiones conciliares abrogatum esse

valorem decretalium priorum; cum in confusionem hujus tam improbæ jurium interpretationis contrarium à Pontifice ipso decisum existat.

His itaque jactis firmis firmioribus jurium fundamentis, palam elucescit, quod dispositio conciliaris in capitulo *Quia propter &c.* præcisè de processu electionis puræ, adeoque duntaxat de modo ordinario tractet & statuatur; & hinc pro *Sexto* nullum undequaque solidum argumentum adduci possit, quod apodicticè concluderet, dictam dispositionem ad processum quoque extraordinarium, in concurrentia electionis cum postulatione, trahendam esse: cum haud credibile sit, quemquam jurium Canonorum gnarum adeo rudem esse vel malè versatum, ut prætendat, ea, quæ in jure Canonico passim de electionibus earumque forma & processu ordinata & disposita reperiuntur, simul & pari ratione etiam de postulationibus intelligenda & observanda esse, & vice versa &c. cum duæ diversæ sint materiæ, & idè non uno eodemque jure censendæ: maximè cum in jure non promiscuè, sed (ut supra jam allegavi) quælibet sub suo speciali titulo, seorsim tractentur, eaque propter regula illa trita & vulgatissima hic locum habeat, quod diverforum diversum sit judicium,

L. inter stipulantem. § 3. §. sacram. ff. de verb. oblig. & diversitas factorum, diversa jura desideret.

per leges & Auctoritates supra jam allegatas.

Unde absurdum certè foret, tam diversa, & (ut supra latius, ac per enumeratas species demonstravi) in tam multis differentia facta ad unam eandemque normam & regulam adstringere: Quinimò, si demum & pro *Septimò* ecque facile & planum esset, per in via Postulationis, quàm per tramitem tritum electionis ad aram Archiepiscopalem conscendere, non sat mirari possem, ex quo motivo Eminèntissimus Dominus Cardinalis apud suam Sanctitatem, pro indulto eligibilitatis tam ardentè instiisset, ac denique

licen-

licentiam ad dimittendam primam eidem desponsatam Ecclesiam Argentinensem anhelasset : Ex quo quemadmodum argumentum vehementissimum, & non modò ratione comprehensibile, verùm & manibus palpabile patescit, suam Eminentiam ipsamèt benè agnovisse, quòd Postulatio inferior sit Electione, & quòd ad illam longè potentiora requirantur suffragia, quàm ad hanc : quæ agnitio ipsa propugnatorem invalidæ Postulationis cum confusione reprimat, quia firmum est juris fundamentum, id, quod quis per unam viam semel approbavit, amplius per aliam in dubium revocari non posse.

L. 4. C. de non num. pecun. Mantic. de tac. & ambig. convent. lib. 18. tit. 2. nu. 12.

Sed ut plerumque fieri assolet, ut hi, quibus jus, fas fidesq; vilia sunt, omnes pravas artes potius in auxilium vocitent, quàm ut àb iniquitate semel statuta decedant, ita mercenarius defensor invalidæ postulationis non erubescit, leges ipsas, quæ insanam suam palæstram manifestæ improbitatis convincunt, expugnare; & hoc ausu temerario in decretalem Capituli scriptum &c. quæ per tot sæcula à nemine unquam in dubium revocata, sed unde quaque invulnerata perstitit, invehitur, prætendendo, idem Capitulum non continere jus commune, in similibus casibus observandum, sed solummodò specialem quandam provisionem, cum casu illo, ad quem facta esset, extinctam : quod ipsum etiam Glossa in verbo *confirmes*, ita perhiberet :

Verùm quæ absurdior variatio inveniri & fieri posset, quàm in principio dicere, sæpe dictam decretalem in cap. scriptum &c. idèd non amplius vigorem juris habere, quia per dispositionem conciliarem in cap. quia propter &c. abrogata & sublata esset : mox autem variare & afferere, nunquam in vim juris communis observandi, in similibus casibus introductam, sed specialem duntaxat instructionem ad exequendum negotium à summo Pontifice suo Prothono-

nota-

notario illa vice, & pro eo solo casu commissum, continu-
isse: quæ duo tanquam contraria, & sibi ipsi vehementissi-
mè repugnantia, per rerum naturam simul ac semel in eo-
dem subjecto stare non possunt, sed se invicem eliciunt &
mutuo se expellunt

cap. Majores. 3. vers. sed adhuc queritur.

ibi: sed hæc tanquam incompatibilia &c.

*extr. de Baptismo & eius effectu. text. in L. si per
errorem. 15. ff. de jurisdic.*

earum enim rerum naturalis pugna est, & quæ pugnant,
in eodem subjecto concurrere non possunt.

L. jus nostrum. 7. ff. de Reg. Jur.

Nam si verum prius, nimirum quod vigor juris communis
in decretali capit. *Scriptum &c.* consistens, per dispositio-
nem conciliarem in *cap. quia propter &c.* tempore postero-
rem abrogatus & sublatus sit, infallibilis est consequentia,
quod in eadem decretali capituli *scriptum &c.* quondam
saltem vigor juris præextitisse debuerit, ex ratione plane
inexpugnabili, quod sublatio tanquam privatio præsuppo-
nat habitum,

*L. decem. 116. ff. de verb. oblig. L. 4. §. condemna-
tum 6. ff. de re judic. L. nec utilem 20. ff. ex quibus
causis majores,*

& impossibile sit, aliquid prius esse in privatione, quàm in
habitu.

*cap. ad dissolvendum. 13. ibiq. Glos. extr. de despons.
impub. Euerhard. in loc. Topic. loc. 60. de modo ar-
guendi.*

Ex quo demum alterum infallibile argumentum resultat,
nimirum manifestam falsitatem elucescere, quod sæpè dicta
decretalis in capit. *scriptum &c.* (sicut prætenditur) nunquã
continuerit jus commune, in similibus casibus observan-
dum, sed tantum specialem provisionem seu instructionem
pro negotio tunc expediendo;

Sin.

Sin autem contendatur verum esse posterius, quod nempe decretalis in cap. *scriptum* &c. nullum unquam continuerit jus commune, in similibus casibus observandum, quomodo quæso salvabitur prius assertum, quod prætenditur, quod vigor juris in cap. *scriptum* &c. ex tunc deserit & cessaverit, ex quo per dispositionem conciliarem in cap. *quia propter* &c. sublatus sit: Ex qua tam inconciliabili contradictione & variatione quilibet prudens lector haud obscure perspiciendum habet, quam ægrè Palestrina hic subsistat, cum in propriis suis præsiidiis & propugnaculis, per intestinas discordias eneruetur, & propriis se contradictionibus confundat; ex eoque tam potenti se juris præsumptione gravat.

L. qui falso. 16. ff. de testib. Paris. conf. 77. nu. 3. & conf. 152. nu. 19. vol. 4. Cravett. conf. 178. nu. 4. vol. 2.

ut non mereatur, ut aliqua ipsi fides adhibeatur.

dict. leg. qui falso. Jason. in L. fin. C. de fidei commiss. DD. in L. fin. ff. de rei vendic.

Fundamentum, quod pro sustinendo asserto posteriore ex Glossa in verbo *confirmes* jam pridem rejecta adstruere satagit, minus quam cætera subsistere valet, quoniam expressè pugnat contra textum: longè autem securius navigat, qui cum textu legis, quam qui cum glossa navigat, per rationem, quia dubitationi nulli amplius locus est, sed cessant omnes cavillationes glossarum & advocatorum.

Rol. à Valle. 1. conf. 25. in pr. Wes. p. 3. conf. 108. nu. 29. & part. 7. conf. 319. nu. 120.

Veritas namque in textu & ratione est, in glossa autem tantum opinio, adeo ut unum textum mille glossis rectè præferendum esse, benè moneant Doctores.

Sonsbeck. de feud. p. 9. nu. 103. in fin. Cothm. vol. 5. resp. 14. nu. 54. Finckelthus. obs. 32. nu. 10.

Unde non immeritò ridendas censet Hilliger

ineptias eorum, qui glossas in re sæpè claris verbis decisa adducunt: In hoc verò ne sine Duce in campum prodire videatur defensor Postulationis, inquit Passerinum quoq; statuere, opinionem glossæ esse veram & fundatam; sed quoniam ipsemet adversarius paulo post expressis verbis fatetur, quòd opinionem erroneam non juvare posset integra Doctorum centuria, cum non spectandum sit, quid Doctores scribant, sed ex quâ ratione scripserint, quia multa obiter & perfunctorie àb illis traderentur, quæ inspectâ rei fundamentalis veritate erronea comperirentur, uti Magistraliter advertisset Melchior Lotter.

de re benef. lib. I. quest. 18. nu. 13.

dicens: manifestum esse, quam sit periculosum, ex Doctorum ambagibus, atq; obiter dictis, controversias decidere, cum sæpè malè accepta, peius exponantur; item

citat. lib. I. quest. 24. num. 185.

quòd Doctorum opiniones sine ratione solida, sint deridendæ, non imitandæ: &

dict. lib. I. quest. 39. nu. 99.

multitudini Doctorum non semper esse deferendum in judiciis, ac demum

lib. 3. quest. 33. nu. 75, 77.

quòd sola numerositas Doctorum neminem movere debeat, nisi visi fuerint in fonte: Ego multo minùs comprehendere possum, quâ ratione movente, unici solius Passerini schismati juris, non tantum communissimæ & unanimæ Canonistarum sententiæ, sed & ipsi claro ac perspicuo textui decretalis in cap. *scriptum* &c. contrapugnanti, ad instar doctrinæ Evangelicæ, & articuli fidei, inhæreri deberet: Certè hoc in passu assimilandus est propugnator prætentæ Postulationis Hæresiarchis, qui rejecto ipso verbo veritatis, spretisque ac damnatis omnium SS. Patrum traditis, sua schismatica dogmata clarissimè licet legi

legi Evangelicæ, & omnibus Ecclesiæ traditionibus prævalere volunt: Nam ex Authoribus Classicis in hodiernum usque diem nullus extitit, qui unquam in dubium revocasset, decretalem, in capit. *scriptum*, continere vinculum obligatorium juris communis, cum omnes unanimiter consentiant, quod in casu, in quo concurrunt electio & postulatio, duplo major exigatur numerus postulantium, quam eligentium ad hoc, ut postulatio possit admitti, & postulatus Electo præferri: prout textus in toties fato capit. *scriptum* &c. continet: quem Authores Panormitanus, Hostiensis, Joannes, Andræas, Ancharanus, Sylvester Gonzalez, Bosquettus, Dartis, Lotterius, Laymannus, Canisius, aliiq; ab his citati sequuntur: Unde Glossa in verbo *confirmes* &c. non solum per Canonistas, sed per glossatorem ipsum, quicquid postea,

in cap. bonæ memoriæ. de postulat. verb. in tanta divisione.

subjungat, reprobatur his verbis: *Ad hoc ut Postulatio præjudicet Electioni, requiritur, ut numerus postulantium sit duplo major eligentium:* quo altera quoque Glossa ad Institutiones Juris Canonici Lancellotti

tit. de confirm. Elect. §. Et si vacante. verb. duplo major.

respexit, exemplificando casum, quo præferenda sit Postulatio, si nimirum ex. 30. Canonicis, 20. postulent, & 10. eligant; alioquin si Postulantium numerus non sit duplo major, quam eligentium, rejectâ Postulatione confirmanda sit Electio, etsi non facta sit à majore parte Capituli: prout aliàs in casu electionis duntaxat puræ

secundum cap. Quia propter. 42. de Elect.

ad validitatem electionis requiritur: Cum hoc ita sit regulariter, non autem quando casus in capitulo *scriptum* &c. specificatus se offert, & modus ordinarius, puta electio, cū

extraordinario, id est postulatione concurrat, secundum
ea, quæ post multos alios Antonius de Butrio
ad citat. cap. scriptum &c.

Itemque Laymannus

eodem. not. 5. & ad cap. bonæ. de Postulat. not. 4.

affirmant, quorum primus dicit, glossam pugnare cum
textu: alter vero inquit: Tu dic secundum DD. quod hæc
decretalis ponat jus, & regula contraria de majore parte
Capituli procedat, quando duæ electiones concurrunt, non
ubi concurrat Postulatio cum Electione: In casu enim Po-
stulationis (ait Laymannus) duabus tertiis destitutæ con-
currentis cum electione, nomen ac jus Capituli in solis eli-
gentibus pro ea vice conservatur: Cum actus eligentium
respectu personæ ineligibilis nequeat sustineri tanquam e-
lectio, neque huic ineligibili votis ad Postulationem neces-
sariis destituto, quasi Postulato quicquã juris aut spei quæ-
ratur: quia proinde accessu postulantium electioni à mi-
nori parte factæ opus sit.

Scandalosum insuper est, quam dirè sensus toties citati
cap. scriptum &c. dilanietur & torqueatur, dum ex verbis
illis *si partes consenserint &c.* contra claram literam & genui-
num sensum evinci velit, decretalem hanc continere so-
lummodo provisionem quandam factam in speciali casu de
consensu partium: Quoniam vero verba ipsius capituli
scriptum &c. sincerè lecta, haud obscurè denotant, quod
consensus partium solummodo exquirendus & requirendus
erat ad admissionem septem Præpositorum & 16. Prælato-
rum, itemque de facultate ad decidendum, non verò de for-
ma & modo decisionis, ideo Nicolaus Abbas

ad ipsissimum cap. scriptum. 40. de Elect.

qui intellectum hujus decretalis ex instituto fundamenta-
liter excussit, eam hoc modo explanatam reddit: *Et per
intellectum literæ incipe primò casum. In Ecclesia Constantino-
politana tunc volante erant 25. Canonici omnes habentes vocem*

iii.

in electione, qui tractantes de substitutione futuri Patriarchæ mutuo consensu convenerunt, ut ad Electionem faciendam admitterentur septem Præpositi per se, aut per eorum procuratores: Item quod admitterentur duo Procuratores pro singulis Prælatibus Ecclesiarum conventualium, ita ut quilibet Prælatus haberet vocem in electione, & tunc temporis Ecclesiæ Conventuales habebant. 16. Prælatos, item quod omnibus computatis omnes erant. 48. voces: quarum. 16. elegerunt Plebanum S. Pauli de Venetiis. 7. verò Præpositi, & 9. Canonici & 16. Prælati, & sic numero triginta duo, postulaverunt Archi-Episcopum Eradinensem in Patriarcham. Vigore hujus discordiæ partes constituerunt se apud Romanum Pontificem, & quoniam in Curia non potuit fieri fides de meritis Electi & Postulati, nec de studiis eligentium, & an Præpositi & Prælati fuissent admissi de consensu omnium. (hic arrigite aures, quotquot estis hallucinantes, circa quid Summus Pontifex consensum partium exquirere suo Prothonotario mandaverit? & videbitis perniciosum & densum adversum errorem) nec etiam plene de numero eligentium & Postulantium; Papa commisit hanc causam decidendam cuidam Notario suo, id est Prothonotario: cui primo mandavit absolute ut de meritis & de idoneitate ipsius Electi & Postulati diligenter inquireret Venetiis, ubi nati fuerant, & diutius conversati: de studiis autem ipsorum eligentium & Postulantium, & generaliter de omnibus, quæ possent illam causam instruere, deberet fieri inquisitio apud Constantinopolim, ubi celebrata fuerat electio & postulatio, & ista fuit prima pars commissionis, in qua non continebatur decisio causæ, ita, quod etiam partibus invitis Commissarius iste debebat facere istam inquisitionem, ut refert Papa. Diffinitionem causæ verò commisit Papa isti Prothonotario sub conditione, si partes consenserint: supple secundum unanimum intellectum, quod iste Commissarius diffiniret ita, quod partium consensus hic requirebatur respectu facultatis diffiniendi: Unde si partes contradixissent diffinitioni fiendæ, habebat Dominus iste inquirere, & causam remittere ad Papam decidendam: si autem

partes præstarent consensum, ut iste definiret, Papa daristi suo Commissario modum, & formam decidendi: ac paulo post, num. 14. Et quod consensus partium solum adhibetur hic quoad decidendi facultatem, non quoad modum decisionis &c.

Ex quo patescit, quam improbè invalidæ Postulationis propugnator verum ac genuinum sensum ac intellectum verborum illorum si partes consenserint &c. incurvare, & contra sanam rationem pervicaci fronte evincere contendat, decretalem capit. scriptum &c. non continere jus commune, sed nudam quandam instructionem, ad causam illam commissam, ex partium consensu decidendam: in cuius opprobrium & manifestam confusionem præcitus Autor Abbas

ad dict. capit. scriptum. 40. de Elect. nu. 1.

expressè tradit: quod, etsi Glossa dicat, hoc capitulum tenere potius quandam provisionem: quam jus commune, iste tamen intellectus communiter non teneatur: NB, quia secundum eum hæc decretalis esset hic superflua, contra id, quod habetur in proemio: & paulo post. nu. 7. hanc admonitionem subjungit: Nota & tene menti semper istum textum, quoad principalem sui materiam, quod ubi concurrunt electio & Postulatio in eadem Ecclesia, datâ idoneitate Electi & Postulati, præfertur Postulatio, si est facta à duplo majori parte Capituli, aliàs præfertur Electio, licet non sit facta à majori parte Capituli: & dicitur facta à duplo majori parte, quando est facta à duabus partibus Capituli: ut puta si ex 30. Canonicis 20. postulent. & 10. eligant. Unde dicitur excessus ultra duas partes. &c. Quod ipsum adeò verum est, ut & Lotterius rerum ac styli curiæ Romanæ peritissimus

de re benef. cap. 3. qu. 17. nu. 241. & seqq.

affirmer, de jure necessarium esse, ad postulationem in tali concursu duplo majorem numerum suffragiorum, neque hoc casu distingui, an Postulatus sit dignus vel indignus, idque, licet Papa, si velit, possit admittere Postulationem, cele-

celebratam à non duplo majori parte, tamen hoc nusquam facit, ubi concurrat electio, juxta terminos dicti Capituli scriptum &c.

Quid amplius desideras, nunquid adhuc sustinebis? sæpe dictam decretalem *in cap. scriptum &c.* non continere, jus commune, sed solam duntaxat instructionem ad specialem quandam commissionem exequendam. Cum non solum clara textus verba, verum etiam integra Canonistarum Schola, tota militia Doctorum Classicorum, imò, quod plus est, ipsa vicens & quotidiana observantia in Curia Romana contra te conclament, & reprobum tuum sensum improbitatis manifestæ convincant & damnent.

At instabis, in judiciis non semper opinionibus Doctorum deferendum esse; Sed respondeo: Scholarum esse opiniones communes impugnare, & sectari subtilitates: fori verò, communes opiniones tenere.

Coras. de commun. opin. num. 74.

Cæterum concedo, Doctorum singularium opinionem non adeò firmum constituere argumentum, ut ei mox in judicando insisti queat, nisi cum textu & ratione legis conveniat, quod autem non procedit in sententia & opinione communi, cum ex usu sit Reipublicæ, ne à communi opinione in judicando facile recedatur.

L.unic. in pr. ibi. sane crebrior. ff. de offic. Questor.

Ratio est, quod veritas à pluribus rectius, quàm à paucioribus perspicitur.

arg. L. fin. ibi. ut per ampliores homines perfectissima veritas revelatur. C. de fidei.

Unde opinio communis vim consuetudinis obtinere dicitur.

Bald. in C. ne innitatis. extr. de consuet. Bocer. de investitur. feud. cap. 5. nu. 558. Euerhard. in loc. ab autoritat. num. 14.

Et

Et legi equiparatur, æjusque vim atque virtutem consequitur,

Lancellot. Galiaul. in L. centurio. num. 291. ff. de vulg. substit. Berous Conf. 91. nu. 27. vol. 2.

indeque servari debet tanquam jus.

Grat. resp. 77. num. 41. vol. 2.

adeo, ut ab ea in iudicando recedendum non esse, tradant communiter Doctores,

in cap. 1. extr. de Constit. ubi Felin. Decius. & Bero. Ruin. conf. 152. nu. 49.

Quod vel maximè servandum, si communis opinio committet testimonio Doctorum illustrium, præsertim pragmaticorum, quibus de consuetudine testantibus credendum esse affirmatur.

Per Jas. in L. 1. nu. 26. & L. ult. nu. 58. ff. de jur. Empt. Bart. in L. de quibus. ff. de Legib. Socin. conf. 165. Vifis. nu. 16. lib. 2. Anton. Coras. 1. comm. opin.

Unde etiam sufficere, quòd in genere testentur, se scire talem consuetudinem esse & servari, inquit Wesembecius.

1. Consil. 13. num. 98.

Cujus ratio in promptu se exhibet, nimirum, quòd aliàs peritis in sua arte credendum esse statuatur

Curtius in cap. fin. quest. 6. in princ. Franzkius. 1. resolut. 16. num. 83.

Quæ ratio autem movere deberet, unius singularis Passerini erroneo sophismati plus fidei tribuendi, quàm universæ scholæ, & communi sententiæ Canonistarum, imò testimonio Doctorum pragmaticorum; non video: cum aliàs semper observatum sit, opinionem illam veriore præsumi, quæ à majori parte Doctorum recipitur & approbatur

L. 1. in princ. ibi. sane crebrior apud veteres opinio. ff. de offic. questor. L. 4. in princ. ibi. & generaliter. ff. de his, qui not. infam. L. 51. in princ. ibi. dicitur

*dicitur vulgo ff. ad Leg. Aquil. L. 12. §. 27. ibi
quam sententiā quotidie increbescere. ff. de instruct.
& instrum. legat.*

siquidem verius & magis integrum est iudicium, quod mul-
torum, quam quod unius aut alterius sententia compro-
batur.

*Arist. lib. 3. polit. cap. 7. & II. Clem. 1. vers. quod
etiam. de sentent. excommunic.*

Et hoc tanto minus in controversiam revocari potest, quan-
do mens & sententiā Doctorum se cum textu legis confor-
mare videtur, ex ratione, quod textus juris omnium autho-
ritatem superet.

Vult. 1. cons. Marpurg. 34. num. 49.

Sed inquires, ex ipso textu clarè non patere, sæpè dictum
cap. *scriptum &c.* continere jus commune: verum respon-
deo, quod id, quod omnibus perspicuum satis & clarum est,
soli & unico Passerino obscurum esse vix potuisset, nisi per-
niciosa quædam curiositas eidem huiusmodi cerebrinas
subtilizationes suggessisset, veritati ipsi contraeundi, & per
vanam prudentiæ imaginativæ opinionem, erroribus ma-
ximè obnoxiam ignorantiam sui patefaciendi.

Dato enim, minimè verò concessio, quod ex nigro seu
textu sæpedictæ decretalis in cap. *scriptum &c.* adeo perspi-
cuè & clarè non patesceret, jus commune inibi contineri,
nunquid sufficeret, id ipsum ex verbis rubricæ sole meridi-
ano clariùs elucere: quæ hoc modo cantat: *Si Postulatio cum
Electione concurrat. & numerus Postulantium est duplo major,
& postulatus est idoneus, postulatio admittitur rejectâ electione.
Si vero indignus, & hoc major pars postulantium ignoraverit,
Postulatio & electio reprobantur: si vero sciebant & electus est
idoneus, confirmatur electio: & idem, si numerus postulantium
non est duplo major: hoc dicit, intelligendo secundum quod con-
tinet Jus commune.* Quemadmodum itaque innegabile est,

G

quod

quòd ex rubrica, optima fumatur interpretatio nigri, sive
 ipsius textus, qui rubricæ subjicitur

Bart. Bald. Alex. Deci. in L. 1. per illum textum. ff. de reb. cred. Et tot. tit. C. de relig. Et sumpt. Bart. in L. 1. ff. de confirm. tut. Gloss. in L. 1. circ. fin. C. ne fidejuss. dot. dentur. Et in Auth. ad hæc. C. de usur.

quia quando aliqua materia posita est sub aliqua rubrica, inde judicatur, esse illius naturæ, cujus est rubrum.

Gloss. in cap. 1. Et in cap. si super de offic. deleg. in 6. Et in cap. tibi qui. de rescript. Euerhardus. in loc. Top. à rubrica num. 1.

Ita Eberhard. post alios à se allegatos addit locis modo allegatis: argumento hoc concludi posse, Executores & Conservatores datos à Papa habere jurisdictionem delegatam, quia de ipsis agitur sub rubrica. *de Offic. Deleg. Et num. 4.* subjicit, legem vel Canonem in dubio intelligi debere, ut conveniat rubricæ.

per L. Imperator. 16. ubi Bart. ff. de in diem addict. Et Panorm. in cap. inter alia. in fin. de immunit. Eccles.

Quod & de statutis respondet Decius

Consil. 396. num. 7.

dicens: rubricam declarare & demonstrare intencionem statuti. Hinc Baldus.

in L. unic. col. 2. C. ne liceat ter provoc.

inquit, quando textus est dubius, rubricam probare, quomodo talis textus intelligendus sit, additque, hoc valde notabile esse pro Rubricis statutorum: videatur & Decianus

in respons. 13. num. 26. lib. 3.

ubi ait: àb omnibus Doctoribus doceri

in dict. L. 1. ff. de reb. credit.

quòd ex rubrica statuti arguere liceat; Quare si rubrica sit generalior nigro, hoc est, plus contineat, quam leges positæ sub ipsa, allegari posse ad decisionem causarum, tradit glossa.

ex L. 1. § rubr. C. de capit. civit. cens. exim. lib. 11.
 Quod verum, si orationem perfectam habeat.

Ripa. in dict. L. 1. num. 13. Bolognet. num. 11. &
 Cagnol. num. 23.

quia ex rubro nigrum explicandum est.

Nicol. Euerhard. loc. supra cit. num. 12. Gloss. &
 Bart. in L. 1. C. de cap. Civit. censib. exim. Carpz.
 part. 4. const. 6. defn. 1. num. 7.

Ex quibus tam uberibus firmitatibus & lucidis testimoniis
 perspicere libeat, invalidæ Postulationis propugnatori,
 quam vividè Doctores, textui sæpe fati Capituli *scriptum* &c.
 ad literam inhærentes, eum que tanquam jus commune se-
 quentes, in fonte videantur: & ex quam putrida olla do-
 ctrina Passerini, aliorumque, si qui sint, ejusdem sequaciū,
 hausta sit: qui, ut saniozem intellectum sat agitati Capituli
scriptum &c. cerebrinis suis sophismatibus aspergant, si non
 ad fontem ipsius textūs, saltem ad rivulum rubricæ recur-
 rere poterunt.

Quod vel maximè ejusmodi viri, qui Consiliis Principū
 adhibentur, facere deberent, si enim tales nimis altè sibi
 sapiant, & sibi solis videntur sapientes, certum & infallibile
 est, quod hujusmodi homines solis inserviāt impedimentis,
 & commodis tum publicis tum privatis adversentur: dum
 illis, qui aliud, licet melius proferunt, aurium & cognitionis
 ostia obserant, & solum quæ dictant, opportuna esse volunt:
 ignorare malunt quàm doceri: nescire potius amant,
 quàm ab interrogatione erudiri: & ideo semper sive genio
 sive ingenio aliis contraire solent, ut acumen jactent & re-
 rum peritiam, quibus inde convenit, quod de Lacone scrip-
 sit Cornelius Tacitus.

Histor. lib. 1. cap. 26. num. 4.

his verbis: quod consilii, quamvis egregii, quod ipse non at-
 tulerat, inimicus, & adversus peritas pervicax fuerit, quæ
 pestis tantò perniciosior est, quando turpe adulandi studium

conjunctum habet, & imaginativâ suâ prudentia omnia sive honesta sive inhonesta Principis pervicaciter sustinere statuit; ex quo Respublicæ tam cruentis sæpe bellis aliisque calamitatibus publicis immerguntur.

Sed ad rem ut revertar, nondum satis lusum reperio, dum adversarius more anguium (qui obtrito capite, caudâ demum mirantur) rebus suis conclamatis, aliunde præsidium conquirat, & nescio quale sulcerum ex concordatis inclytæ nationis Germanicæ, inter Romanum Pontificem Nicolaum Quintum, & Imperatorem Fridericum Tertium pactatis, immaturæ Postulationi substruere prætendit: quorum concordatorum tenor sincerè lectus cuilibet æquo judici luculentissimè perhibebit, hæc ipsissima concordata prætensam postulationem Eminentissimi Domini Cardinalis de Fürstenberg multo magis destruere, quam

Num.2. sustinere: siquidem litera eorum, prout infra sub Num.2. annexa habentur. §. 2. ita clangit: Item placet nobis, quod in Metropolitanis & Cathedralibus etiam immediate non subjectis Ecclesiis, & Monasteriis immediate subjectis sedi Apostolicæ, fiant Electiones Canonice, quæ ad dictam sedem deferantur, quas etiam ad tempus constit. felic. record. Nicolai Papæ Tertii, quæ incipit: cupientes: expectabimus, & elapso dicto tempore, si non presentate, vel si presentate minus Canonice fuerint, providebimus; & si canonice fuerint, eas confirmabimus; nisi ex rationabili & evidenti causa, ac de dictorum fratrum consilio, de digniori & utiliori persona duxerimus providendum.

Ex quibus patet, suam Sanctitatem approbasse, ut Electiones Canonice fierent, & tum demum si Canonicas invenerit, confirmationem impertiri spondidisse: cum autem per prædeducta satius quam abundè evictum, & luce meridiana clarius demonstratum sit; Postulationem prætensam Eminentissimi Domini Cardinalis numero suffragiorum necessario, & de jure Canonico in tali concurrentia irremissibiliter requisito destitutam, consequenter canonicam
non

non esse, nec dici posse res est, quæ se ipsam ostendit, quod ex dictis concordatis prætenfa Postulatio nihil juvetur, sed multo potius reprobetur:

Ut taceam de hoc, quod ea, quæ in favorem Electionum sancita habentur, non illico ad postulationes, utpote Electionibus multum inferiores, protendi possint, ac debeant, quia notum, & in prædeductis jam monstratum est, Postulationem quamcunque, etiamsi legitimis suffragiis celebratam semper ininiti gratiæ superioris dispensantis in impedimento Canonico, & ideo absque injuria rejici posse:

Suffragium quod ab adductis per adversarium exemplis petitur, ecque nimis debile est, tantam columnam sustinere, quapropter inopi compilatori haud incongruè cum Natta

Confil. 24. num. 3.

responderi posset: O timidum judicem, qui respiciens exempla, secundum jura decernere formidat. Etsi enim non me lateat, quod exempla & sententiæ supremi Principis faciant præjudicium in causis similibus.

L. fin. junct. Gloss. C. de legib. & cap. in causis. 19. ibiq. Felinus. & Doctores. de sentent. & re judic.

attamen ad id, ut exemplum summi Principis sequendum sit, in judicando, necessario requiritur, ut cum facto & contingentiæ præsentis in omnibus circumstantiis & qualitatibus punctualissimè convenient; Secus autem in casu, quo exempla certis circumstantiis distincta & circumscripta sunt: tunc namque sequimur regulam dicentem, quod exempla nec faciant consuetudinem nec regulam.

L. nemo. 13. C. de sentent. & re judic.

L. sed licet. 12. ff. de offic. Presid. Wesembec. 1. conf. 4. num. 68.

Cum ad casus dissimiles non extendantur; sed factum tantum in suis qualitatibus declarent, quibus in casibus regula locum habere debeat.

Paris Conf. 158. num. 15. lib. 4. Tiraquell. in L. si unquam. verb. libertis. num. 39. C. de revocand. donat. per gloss. in cap. quod Dei timorem. de stat. Monachor. Wesemb. 1. Conf. 44. num. 72.

Ad hæc insuper contingere potest, ut Princeps aliquando aut necessitatis aut utilitatis publicæ causa cogatur aliquid contra jus decernere, vel statuere, quod tamen validè in argumentum trahi non potest.

cap. in argumentum. 78. de Reg. Jur. in 6. L. 162. ff. de Reg. jur.

Habitâ ratione, quod tam necessitatis quàm utilitatis publicæ ratio à quacunque dispositione ac prohibitione intelligatur excepta

L. jubemus. 14. ubi Bald. C. de SS. Eccles. L. nullus 11. ubi Bart. ff. de curs. publ. L. in provinciali. 3. §. fin. cum L. seq. ff. de nov. oper. nunc. Jason. in L. non dubium. num. 35. C. de Legib.

quo etiam respexisse videtur Cornelius Tacitus, dum

Annal. lib. 14. cap. 44. num. 7.

scripsit, Habere aliquid ex iniquo plerumque magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publicâ rependatur; A quibus exemplis proinde non argumentari, & in aliis causis ad consequentiam concludere licet, tum quod per textum Juris Canonici

in cap. in causis. 19. de sentent. & re judic.

cautum sit; quod summi Pontificis decisiones quidem à cæteris in simili casu observandæ sint, *Nisi forte aliquid causa necessitatis & utilitatis inspectâ dispensati vè duxerit statuendum.* tum quod summus Pontifex in paulo ante allegatis concordatis cum natione Germanica denuo sibi reservaverit; se velle Electiones Canonicas repertas confirmare, *nisi ex rationabili & evidenti causa, de digniori & utiliori persona duxerit providendum.* Cui reservato Pontificio in Postulationibus tantò largior est campus, quanto hæ inferiores sunt ele-

electionibus, dum solâ gratiâ superioris dispensantis nituntur.

His omnibus infirmius est præsidium, quòd ex præten-
sa lege fundamentali Patriæ Coloniensis in medium pro-
ducitur; ut ex quâ lege prætenditur, status & subditos te-
neri, illum duntaxat, qui à majori parte Capituli fuerit
electus aut postulatus pro Archiepiscopo & Domino suo
agnoscere, eumque quâ talem contra quascunque con-
tradictiones defendere.

Quæ lex si secundum intellectum & sensum suum litera-
lem sumi, & stringi velit, quemadmodum à propugnatore
præten-
sæ postulationis stringitur & sumitur: evidens est,
eam non solum Canonicis decretalibus, & legibus ac con-
stitutionibus Pragmaticis S. Rom. Imperiû, verùm etiam
legi naturæ, & Divinæ morali diametraliter repugnare,
eaque propter augustæ legis nomine indignam, ac proinde
non obligatoriam esse.

Sensus namque litteralis hujus legis stringeret subditos
& status Provinciæ Coloniensis, absque ulla distinctione
simplicissimè eum pro Archiepiscopo & Domino suo agno-
scere, & quâ talem defendere, qui à majore parte Capi-
tuli pro tali electus, vel (*prout postulationis propugnator ad-
dit*) postulatus esset: cum tamen multiformiter contin-
gere posset, electionem (ut de postulatione jam taceam)
etsi à majore parte Capituli factam, non tamen canonicè
celebratam esse, adeo, ut talis minùs Canonicè electus nec
confirmandus, nec pro Archiepiscopo tolerandus foret.

Quid si enim obveniret, ut vel totum capitulum, vel ma-
jor pars ejusdem eligeret scienter vel inscienter indignum,
nūquid etiam tunc status & subditi Archiepiscopatus ta-
lem in concordia totius, vel saltem majoris partis Capi-
tuli electum pro Archiepiscopo & suo Domino recogno-
scant, & quâ talem defendent? certè, si quis secundum
strictum intellectum litteralem præten-
sæ legis fundamen-
talis

talis iudicare vellet, haud dubio statueret, status & subditos ad id teneri, quia lex sine ulla vel minima distinctione simpliciter tenet, quod praecise eum qui a maiori parte Capituli electus fuerit, pro suo Domino agnoscere debeant & velint: Cum autem sacri Canones expressè perhibeant, huiusmodi indignum electum confirmari non posse, sed secundum textum expressum & clarum

in cap. nihil est. 44. de Election.

deiciendum; & eligentes, si scienter elegerint, juxta alium textum

in cap. cum in cunctis. 7. de Elect.

ipso jure eligendi potestate pro illa vice privatos, & a beneficiis Ecclesiasticis per triennium suspensos esse, additâ ratione poenae, nimirum: quod dignum sit, ut quos Dei timor a malo non revocat, Ecclesiastica saltem coërceat se veritas disciplina: infallibilis & manifesta esset consequentia, status & subditos Archiepiscopatus Coloniensis lege suâ fundamentali, secundum cujus literalem intellectum tenerentur, huiusmodi reprobam nihilominus pro Archiepiscopo agnoscere & defendere, ad refractariam impietatem tam contra Sanctam Ecclesiam, quam S. Rom. Imperium obstrictos esse: quæ impietas cum non modo legibus positivis, sed &

juxta S. Paul. Epist. ad Roman. cap. 13. v. 1. & 2.

immutabili ordinationi Divinae recalcitret, vinculum obligatorium inducere non valet, habitâ ratione, quod impossibile & turpius nulla sit obligatio

L. 185. ff. de Reg. Jur. & L. 128. ff. de verb. oblig.

cum non modo turpis, sed & impossibilis sit saltem jure; considerato, quod ex Philosophia impossibilia sint duplicia, nempe, *Per se in se*, & *ex accidenti*, quorum priora habent triplex principium, scil. naturam, factum, & jus, indeque impossibile *Naturâ* dicitur, cælum tangere, *Facto*, inter triduum Romam Gadibus excurrere: *Jure*, aliquid, moralem turpitudinem continens committere, cum ea, quæ lædunt

alia

pie-

pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum sit.

L. filius. 15. ff. de condit. instit.

Quemadmodum itaque prætenfa lex fundamentalis status & subditos Archidiaecesis Coloniensis obligare non potest, aliquem, ex eo duntaxat simpliciter, quod à majori parte Capituli electus sit, pro Archiepiscopo & Domino suo agnoscere & defendere: nisi sit Electus Canonicè, à Pontifice confirmatus, & vel maxime à Romano Imperatore in feudis regalibus institutus: cum eum non ut Archiepiscopum Ecclesiasticum, sed ut principem imperii in regalibus investitum, & respectu horum jure Vasallitico à Imperatore & Imperio dependentem pro Domino suo, quoad Dominium utile agnoscere, præ hoc vero Imperatorem ut Dominum directum recognoscere teneantur: per regulam tritam, quod vasallus aut subditus vasalli mei ratione ejusdem rei etiam vasallus & subditus mihi sit.

Tabor. in thesaur. locor. commun. lib. 18. cap. 3.

axiom. 5.

Ita talem agnitionem aut defensionem multo minùs is qui à majore parte Capituli postulatus est, ante superioris admissionem de jure prætereendere posset: ex ratione, *Primò* quia, ut supra jam latius deduxi, ad hoc, ut Postulatio, præsertim in casu concurrentis Electionis, legitima & Canonica sit, non sufficit, ut vota in postulatam directa sint simpliciter majora, sed requiratur, ut sint duplo majora: *Secundò* quia postulatio, etsi legitimis suffragiis celebrata, nititur merà gratià superioris dispensantis in impedimento canonico; adeo ut semper vel admitti vel sine injuria rejici possit, pro ut post Gregor. Tholos. & Abbat. statuit Sannig

in Schol. Canonic. lib. 1. decretal. tit. de Postulat.

Prælat. cap. 3. nu. 7.

& colligitur ex ipso textu juris Canonici

in cap. postulationem. 5. de Postulat.

H

Cujus

Cujus rationis ratio est, quia Postulatio nihil prorsus juris tribuit Postulato, ita ut decretalis

in cap. bonæ memoriæ. 23. de Elect.

expressè perhibeat, quòd recipientes Postulatum ad Ecclesiam, tanquam institutum vel administratorem, ante admissionem postulationis à superiore factam, puniendi sint, privatione eligendi potestatis: ex quo inexpugnabile argumentum exurgit, status & subditos Colonienses nullà ratione validà obstringi posse, ut Postulatum, antequam per Summi Pontificis dispensationem admissus, & à Romano Imperatore in feudis regalibus investitus sit, pro legitimo Archiepiscopo & Domino suo agnoscant; nisi quis cum dissolutione vinculi humanæ societatis, omnem salutarem jubenti & parendi ordinem tollere & statuere vellet, legem superioris inferiori cedere debere, quod non absurdum modo, sed & impium, atque ex hoc ipso damnabile foret; quoniam jurium provisiones præexistunt notissimæ, quòd inferior legem superioris tollere non possit

l. formam. 2. C. de offic. Præf. Prætor. text. express. in cap. inferior. 16. de majoritat. Obedientia.

adeo quidem, ut secundum ea, quæ expressa habentur in jure Canonico

Clement. ne Romani. 2. de Elect.

inferior nedum possit tollere legem superioris, sed nec corrigere, mutare, modificare vel addere. A quo nihil relevat, quòd quilibet Princeps & status imperii in suo territorio idem possit, quòd Imperator in imperio, siquidem hoc intelligi debet & sumi respectu suorum subditorum, non autem respectu Romani Imperatoris, ut quem Principes & status imperii pro suo legitimo capite & superiore recognoscere, atque ideo in omnibus dispositionibus obsequio, fidei, & reverentiæ debitæ recalcitrantibus eum eximere tenentur; nam sicut teste Menochio

Con-

& Limnæo

Lib. 4. cap. 8. num. 25.

de jure antiquo servatum semper & observatum est, ita etiam in Instrumento Pacis Osnabruggenfis

artic. 8. §. gaudeant.

provisum & cautum habetur, Principes & status imperii in omnibus fœderibus, quæ vel ipsi inter se, vel unus aut plures ex illis, cum exteris nationibus aut Potentiis pangere, vellent, semper teneri, Imperatorem & imperium eximere: quanto minus ergo fas illis esse poterit, subditos suos ad tale quid patrandum lege obstringere, quod illis ipsis facere, & lege Divinâ & humanâ præclusum est:

Quòd si vero sæpius fata seu prætensa lex fundamentalis ad rationem (quæ secundum Ciceronem

lib. 1. de Legib. cap. 15.

anima legis, & rectus modus imperandi atque prohibendi est) reduci, & circa sensum ac intellectum suum dispositionibus Canonicis & legibus Pragmaticis S. Romani Imperii eo modo concordari velit, ut sumatur de Canonicè electo, à Pontifice confirmato, & à Romano Imperatore in feudis Regalibus investito; non video, quid eadem ad sustinendam invalidam Postulationem pro Eminentissimo Domino Cardinale de Fürstenberg prætensè celebratam, vel minimè conferre valeat, cum in ante deductis satius, quàm abundè demonstratum fit, eandem postulationem, tanquam necessariis & de jure irremissibiliter requisitis duabus tertiis votorum destitutam, non legitimam, exinde ne cogitandum quidem esse, talem invalidam & minus Canonicam Postulationem à Sanctissimo admissam iri.

Nec mirari satis possum, quòd eo demum serpat insania propugnatoris prætentæ Postulationis, ut non vereatur asserere, *Mores Germaniæ inter Electionem & Postulationem nullam differentiam agnoscere*: quis quæso hoc unquam

statuit? aut quis tot & tam substantiales differentias in iure Canonico constitutas abrogavit: Ubi hoc ullâ litterâ cautum habetur? perhibeat testimonium plausibilis assertor: & credamus illi, cum enim Doctoribus non amplius credendum, quam quatenus allegant, legesque vel rationes probant, non vero quatenus nihil allegant,

Tabor. in thesaur. locor. commun. lib. 4. cap. 43. axiom. 2.

ideo erubescendum est sine lege loquenti

L. illam. 19. C. de collation. Nov. 18. cap. 5. Everhard. in topicis legal. loc. 64.

quâ huiusmodi nuda asserta eâdem facilitate negantur & rejiciuntur, quâ asseverantur.

dict. Tabor. loc. antecitat.

Unde nihil temerè & sine lege asserere oportet.

dict. L. 19. C. de collat. lib. 5. C. de repud. l. 13. §. 7. ff. de excus. tut. Carpz. part. 2. qu. crim. 76. num. 42.

ex ratione, quia qui sine lege loquuntur, nimis altè volant sine pennis, ideoque non mirum, si velut Icarus cadant.

Cagn. in L. frater cum fratre. ff. de cond. indeb. Limn. lib. 1. de iure publ. cap. 14. num. 20.

Falsum præterea est, quod asserit adversarius, nimirum, quod per decretalem in cap. *scriptum* &c. continentem jus commune in similibus casibus observandum, necessario everti deberet dispositio conciliaris posterior in cap. *Quia propter* &c. quoniam superius jam demonstratum est, dictas duas constitutiones respicere plane diversos & separatos casus, & ideo ambas, ac quamlibet sine alterius corruptione subsistere posse.

Verùm his telis omnibus elusis, aliis novis fabricatis video peti Electionem Serenissimi Ducis *Josephi Clementis*, ex quibus primum est exceptio, quæ suffragio Serenissimi Principis *Hermanni Marchionis Badensis* obmovetur: nimirum quod non in tali loco extiterit, ex quo ad Electionem

cita-

citari debuisset; quod ad faciendam fidem de impedimento legitimo, nec ipsemet juramentum corporale præstiterit, nec ad id in animam suam præstandum Dominum Procuratorem suum speciali mandato instruxerit, itemque quod sua serenitas multis retro annis in qualitate Generalis professionem armatæ militiæ fecerit, castra secutus fuerit, & non modo recenter contra infideles, sed & pridem contra alios Europæ Christianos Principes arma tulerit, acies instruxerit, urbes expugnauerit, alioque publica militaria officia, in quibus ad sæva deventum fuisset, exercuerit, atque ex hoc ratione incurse notoriæ irregularitatis se ad ferendum votum in electionibus inhabilem reddiderit.

Pro elisione autem hujus tam immodesti morsus, non immerito miranda est temeritas adversarii, dum prætere aude ausit, votum Serenissimi Domini Marchionis ideo pro invalido eliminandum, quia tempore citationis & celebratæ electionis non in tali loco substitisset, ex quo citari debuisset, cum tamen instrumentum Notariale sub Num. 1. annexum expressè doceat, suam Serenitatem non modo ad hunc actum specialiter citatam, verum etiam ejusdem procuram in *aliquibus* electionibus antecedentibus de facto admissam fuisse: si enim longinquior absentia eidem obesse potuisset, quo minus ejus procura admitti debuisset, cur citatio tantâ curâ & sollicitudine, sicut in præfato instrumento Notariali enarratur, ad ipsum facta est? certè si Serenissimus hic Princeps votum suum pro Eminentissimo Domino Cardinale de Fürstenberg decantari mandasset, nihil dubitandum, quin prætensæ Postulationis propugnator id contra omnes quoscunque ictus infestos masculè defenderet, cum autem citra spem altè fati Eminentissimi Domini Cardinalis votum hoc pro Electione Serenissimi Ducis *Josephi Clementis* depromptum sit, ecce illico id ex numero suffragiorum Eligentium expungere conantur.

Par ratio etiam est, quòd ejusdem Serenissimi Marchionis suffragio, ob defectum mandati specialis oggannitur, quoniam clausula: *aliaq. omnia faciendum, gerendum, & exequendum, in prasato electionis negocio & circa illud, quæ ego ipse, si prasens forem, quomodolibet agere, facere, & exequi possem.*: mandatum adeò plenum & generale constituit, ut omnia specialia suppleat, virtute jurium, quibus cautum habetur, quòd dispositio generalis omnes species comprehendat, ac expressio generis species continentis, idem operetur, ac si singulæ species essent expressæ.

L. si chorus. 79. ff. de Legat. 3. facit L. si duo. 51. sub fin. ff. de administr. tutor. L. omnes. 4. post. pr. C. de prescript. triginta vel quadraginta annorum. Berlich. lib. 2. conclus. 22. num. 3.

Qui enim aliquid mandat, unà omnia, sine quibus illud expediri nequit, mandasse videtur.

L. 2. ff. de jurisd. L. 3. §. ult. ff. de S. R. P.

Quantum autem irregularitatem suæ Serenitati objectam conernit, sciendum primò est, aliam dari irregularitatem, quæ tam àb activa quàm passiva electione excludit, aliam verò, quæ à passiva tantum arcet, in activa autem voce nihil impedit: adeò, ut insanus taxator, si hoc in casu qualem qualem irregularitatem Serenissimo Principi Hermanno Badensi firmiter impingere voluisset, eam juxta qualitatem suam ex jure convallare, & non solum crudè per generalia Brocardica juris, more canum timidorum à longè allatrare debuisset. Pauperis enim Doctoris est decidere per regulas generales, siquidem ea, quæ sunt generalia, placent hominibus imperitis, decisiones autem particulares concludunt viris eruditis

Aretin. conf. 106. num. 6. Mantie. de tacitis. lib. 4. tit. 1. nu. 2.

quod si igitur de Clericis exercentibus militiam armatam disquiramus, Laymannus

in

*in sua Theologia morali. lib. 3. tr. 3. part. 3. cap. 8.
num. 2.*

expressè statuit, quòd Clericus, qui bello justo interest, & pugnantis auxiliùm præstat, si neminem propriâ manu occiderit, aut mutilârit, licet vulnerârit, irregularitatem non incurrat. Dicitque, hoc debere censi speciale novi juris privilegium, ideò concessum, ne homines metu irregularitatis à bellando absterreantur: per auctoritates ibidem allegatas: quòd haud dubio etiam respexerit Illustrissimum Capitulum Metropolitanum, dum instrumentum Notariale claris verbis perhibet, quòd alie mentionati Serenissimi Marchionis procura, in aliquot antecedentibus Electionibus absque hujusmodi irregularitatis oppositio-
ne, de facto admissa fuerit: adeò ut pro nunc tantò minus rejici possit, ex eo, quòd approbatum semel amplius repro-
bari non queat.

*L. Pomponius. 9. ff. de negot. gestis. Thomas de Tho-
masset in floribus Legum. reg. 37. Surd. conf. 18 nu. 2.*

Haud ineptum sanè est, quòd supra allegatus personatus Alithophilus in sua Decade dubiorum, ad hanc voto Serenissimi Marchionis Badensis obmotam, exceptionem reposuit, his verbis: Quoad votum Serenissimi Domini Marchionis Badensis, si Serenitati suæ obesse potuit, aut præ-
tensa irregularitas, aut professio militaris, aut votum sine speciali mandato jurandi in ejus animam per procurato-
rem datum: quid de prioribus Electionibus in Fürstenber-
gianum subinde favorem concurrente Serenitatis suæ vel aliorum simili suffragio, celebratis? Cur non & aliis, qui vel irregulares videri forsitan possent; vel Eminentie suæ ad instar militiam aliquando secuti sunt, aut cum tali planè mandato & clausula *comparendi in loco electionis & omnia fa-
ciendi, que Dominus Mandans præsens quomodolibet facere
posset seu deberet, sua quandoque suffragia tulerunt, par fa-
bula canitur?*

Quid

Quid amplius, nunquid satis tandem nugarum? minime rerum, supersunt enim adhuc spicula spinosa, quibus diversæ personæ, & præter Excellentissimū Dominum Comitem de Kauniz, suæ S. Cæs. Majestatis Legatum non modo Electus Serenis. Dux *Josephus Clemens* acriter pungitur, verum & ipsissima Sac. Cæs. Majestas sacrilegè sugillatur. Nam prætensæ postulationis defensor calumum immodestè stringendo, scribit, quòd ultra ante deductam nullitatem, voti Serenissimi Principis Badensis aliæ concurrerent tam hujus, quàm aliorum votorum ad Electionem directorum, insanabiles pariter nullitates.

Inter quas & illa non minima esset, quod ne dum ex propositione sæpe memorati Domini Comitis de Kauniz in Capitulo facta, sed etiam ex alia severissima comminatione dignitatem Electoralem àb Ecclesia Coloniensi ad aliam Cathedralē vel Metropolitanam transferendi, si in Eminentissimi Domini Cardinalis Landgravii de Fürstenberg personam vota dirigerentur, diversorum Eligentium suffragia, ab ejusdem Eminentissimi Postulatione territa fuerint, ita ut eorum vota contra Canonicas sanctiones

in cap. quisquis. 43. de Elect. & in cap. sciant cuncti. 12. eod. tit. in 6.

pro immunitate Ecclesiastica, & omnimoda in electionibus libertate conservanda, à summis Pontificibus & Conciliis generalibus editas in numero votorum ad sustinendam assertam Electionem Serenissimi Principis *Josephus Clemens*, computari possint.

Tacendo amplissimas promissiones diversis Capitularibus factas, ad divertendos ab Eminentissimo animos, prætereundo etiam gravissimas comminationes, de persequenda, opprimenda, & delenda tota familia, tam in personis, quàm in donis, quæ per sæpe fatum Dominum Comitem de Kauniz cum perpetuo immunitatis Ecclesiasticæ & libertatis Electionum Canonicarum dispendio, aliis Capitu-

pitularibus factæ fuerunt, in eventum quò vota sua in Eminētissimi Cardinalis Landgravii de Fürstenberg personam dirigere præsumerent.

Sed hæc altioris indaginis sunt, & non per saltum percurrenda, quoniam longius vulnerant, quod si igitur de quibusdam præviis consultoriis tractatibus ante Electionem habitis sermo sit, id nullibi vetitum unquam fuit, sed potius ipsis prudentiæ regulis consentaneum, imò ad arcenda schismata, scandala, & alia quæcunque incommoda necessarium est, ut ab eligentibus tractatus consultorii super eligendorum qualitatibus, conservatione ac propugnatione felicitatis publicæ, diversisque aliis, pro ratione locorum ac temporum considerandis præmittantur: Hujusmodi proinde tractatus, quamdiu nullam ex circumstantiis mendaciorum, minarum, pactio[n]um illicitarum, importunarum precum &c. labem contrahunt, prohiberi non possunt nec debent, imò subinde præcipiuntur Capitulis, à ipso summo Pontifice, ut constat

ex cap. cum in veteri. §2. ubi gloss. in verb. tract. de Elect.

quibus si collegialiter coram Electionis Præsidi non semper opus videtur, saltem privatim omninò adhibendi sunt; quia non nisi raro atque per accidens contingit, Eligentes in unius electionem convenire; Neque pugnat cum secreto electionis, si per hujus generis consultationes vota vel intentiones quorundam Capitularium ante Electionem, propalentur: Cum electio juxta rescriptum Canonum, quoad se tunc verè pro secreta habenda sit, si fiat per vota modo secreto data, atque ex vi notitiæ in scrutinio habitæ, nomina & vota eligentium nulli à scrutatoribus, aliisque publicis electionum Ministris aperiantur, quemadmodum necque Electioni, per vota secreta jam consummatæ, per id derogari censendum est, quòd Electores illam à Capitularibus quibusdam illegitimè impugnatam defendant, prout
I
justi-

justitia exigit : in cujus præjudicium electio cum peracta, seclusis forte quorundam Ordinum constitutionibus, continuo deinceps secreta custodiri non debet.

Quidquid autem de minis & concussionibus, itemque de promissionibus asseritur, ea omnia, quemadmodum in mero facto consistunt, ita non præsumenda, sed probanda sunt.

L. in bello. 12 §. facti. 2. ff. de captiv. & postlimin. revers. L. si emancipati. 9. ubi Jason. C. de collat. L. 1. C. de probat.

rationem hujus axiomatis dat Flamin.

de resignat. benef. lib. 10. qu. 8. nu. 43.

inquiens, quod facta sui naturâ sint incerta.

per L. in omni. 2. ff. de jur. & fact. ignor. Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloss. 43. num. 95. & gloss. 62. num. 28.

Nihil autem tale intercesse, non modo ante fatus personatus Alitophilus in sua decade dubiorum, sed & D. D. *Num. 3.* Capitulares Eligentes in sua protestatione infra sub *Num. 3.* annexâ Zelosè defendunt : Primi enim hæc sunt verba : Quid de minis, promissionibus, pactis, ac nescio quibus illecebris, & aliis mille modis trahendi D. D. Capitulares ad Postulantium numerum ? Cujusmodi nihil de Serenissimo D. Electo, nec de Serenissimæ domus Electoralis Bavaricæ Ministro, & ablegato extraordinario Domino Joanne Fridrico Karg obiici potest, qui rationibus tantum & veritatibus Canonicis egit, Eminentiaæ suæ laudibus se nusquam opposuit, neminem terruit, nullum concussit, nihil promisit vel dedit : Si quæ Leodii in familiari discursu Domino de Lyboy in Eminentiaæ suæ Elogio effusè respondit, non placere vaccas, quæ lac è turgido ubere datum mulcero deinde excusso, disperdunt (quod quidem sine animo injuriandi, & intra domesticos solum parietes unico ad huc præfente dixerat) aliud ut audio, indicare non intendit, quam

quam multis persuasum esse, quod præclaræ Eminentiaæ suæ laudes, per actiones nonnullas Sac. Cæs. Majestati, ac imperio Romano minus gratas, veluti per quasdam nubes offuscentur in publicis occasionibus, quibus à summis Principibus omnia ac singula ad pondus Sanctuarii expendantur: Mirumque videri potest, quid Eminentiaæ suæ, ejusdemque præconibus in illis scripturæ verbis: *Nolite timere*, displiceat: cum & Illustrissimus Dominus Comes Ferdinandus de Fürstenberg vivâ, sed inani voce, aut saltem sine justa causa, Coloniae ante Electionem animos quorundam metu percellere tentaverit, & imbellis alioqui sexus litteris Viennam post Electionem conscriptis, id ipsum confirmare non erubuerit. Sed dubito, imo certus sum, quod viri Deum timentes, non cedant inutilibus minis ejusmodi juvenis vel Damæ, quæ dicti Ovidiani meminisse deberet: *Imbelles Damæ, quid nisi præda sumus*. DD. Capitulares Eligentes autem, in sua protestatione inter alia etiam sequentia interposuerunt. Quod in litteris ad altè memoratos Dominos Serenissimos Electores & Capitula Germaniæ, ut præfertur, directis, injuriosè & calumniosè asseratur, quasi per minas pro parte Augustissimi Romanorum Imperatoris, per suæ Sac. Cæsareæ Majestatis Legatum, Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Comitem de Kauniz, in communi Capitulo, & extra illud apud quemvis in privato sparsas, Nos tamen Conscientiaæ, & juramenti immemores, ad resiliendum à priori concluso & voto, jurjurando etiam firmato, & ad vota nostra in præfatum Electum Principem dirigendum concuti & terreri permissemus. Contra quam injuriam Sacrae Cæsareæ Majestati non minus, quàm nobis illatam, prout altissimè fata Majestas ipsamet condigna remedia adhiberi sciet, ita & nos iterum quæcunque opportuna de jure nobis competentia, cum primis autem contra fabricatorem hujus injuriosi scripti, quem nobis denominari petimus, reservamus,

mus, & coram Deo & mundo hisce contestamur, quòd nullis exterarum potentiarum minis (quarum quidem ex parte Augustissimi Imperatoris nec vel minimas nobis incussas esse asseveramus) territi, sed Solius Dei gloria, recto conscientiae nostrae dictamine, Ecclesiae utilitate, & communi totius Archidiecepsis, & Imperii Romano Germanici bono moti & permoti, vota nostra in Serenissimum Principem *Josephum Clementem* direxerimus: Eundemque, quantum in nobis fuit, Canonice elegerimus, militantibus rationibus etiam in eo, quòd ipsemet Sanctissimus Dominus noster, Eundem Serenissimum Principem Electum, per communicationem indultu eligibilitatis, ad hanc Ecclesiam Coloniensem non minus, quam Hildesensem & Leodiensem specialiter habilitaverit, & per hoc eundem idoneum & sibi magis benè visum non obscure demonstraverit, & ne huic Apostolicae intentioni ullum poneretur obstaculum, Eadem Sanctitas sua Eminentissimo Domino Cardinali non solum petitam ante hac Ecclesiae hujus Coadjutoriam, verum etiam indultum eligibilitatis, quamvis vehementissime desideratum, & ne aliquo modo ad hunc Archiepiscopatum aspirare posset, etiam quaesitam licentiam dimittendi Episcopatum Argentinensem denegaverit.

Ex quibus si non abundè, sufficienter tamen haud dubiè liquet, quam calumniosa commenta invalidi propugnaculi architectus circa factum (juris enim ineptiae paulo post denudata progredientur) in scenam producere, & non modo Serenissimum Ducem Electum Simoniacae labis inculpare, sed & ipsissimam Sacram Cæsaream Majestatem de concussione Sacrilegâ maledicendi licentiâ proscindere ausit, quæ tanta temeritas suo loco ad strictius examen vocanda erit: asserit quidem malè consultus propugnator, hæc & similia notoria, quin & vulgi fabulam esse: Verum unde talis notorietas ne dicam probanda, sed præsumenda solum modo sit, exhibeatur unicum saltem concludens, & apo-

& apodicticum indicium : præterquam enim quòd longa differentia habenda sit inter notorium veritatis, & notorium præsumptionis,

per. L. atqui natura. 19. §. cum me absente. 3. ubi gloss. ff. de negot. gest.

certè unius aut alterius Fürstenbergianæ factioni devoti gallicantis vox aut lingua maledica adeò potentem famam non constituet, ut àb ea ad notorium argumentum firmum formari queat, siquidem non quælibet, sed indubitata solum & in veterata fama notorium demum præsumptionis inducit.

cap. tua. 8. extr. de cohabit. cler. cap. cum cause. extr. de juram. calum.

fraude namque inimicorum falsa vulgantium, sæpe fama noceret etiam innocentibus : inquit Quintilianus

Declam. 18.

Quare perniciosa est infamia ejusmodi calumniis ex vulgi fabulis clypeum petere, cum non sit sapientis (ut inquit Cicero

5. Tusculan. pag. 245. Et lib. 2. epist. ad Quintum fratrem)

ab insipientium sermone pendere, quocirca Vanas voces populi minimè audiendas esse, probat Hartman. Pistorius.

part. 1. quest. 30. num. 35. ex L. Decurionum. C. de poen.

Imò si fas esset, ex illis, quæ vulgi non fama simplex aut leviuscula, sed & firma opinio fert, & quæ scriptis Satyricis typo vix non per totam Europam effusis adeò publicè de Eminentissimo Domino Cardinale de Fürstenberg sparguntur, ut suam Eminentiam minimè latere possint, in vim probationis argumenta decerpere, certè nulla difficultas esset ex ejusmodi rumoribus evincere, quod benefatus Eminentissimus Dominus Cardinalis non ut indignus tantum, sed ut indignissimus reprobandus, & àb omnibus

ulterioribus promotionibus arcendus esset : sed quoniam & imprudenter & injuriosum pariter foret, ex famosis scriptis aut dictis tanti viri Principis famam & dignitatem sugillare, satius mihi est, ea suis authoribus relinquere, quàm me eorundem participem, aut litem meam facere :

Restat nunc dispicere, quid de juribus à infano Propugnatore circa hanc materiam allegatis, sentiendum? quæ, inspectâ facti qualitate cui applicata sunt, plane impertinenter extensa reperiuntur; dicit enim, per hoc, quòd S. Cæs. Majestas per suum Legatum Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Comitem de Kauniz, D. D. Capitulares adhortari fecerit, ne ex causis tunc & anteriori vice notificatis Eminentissimum Dominum Cardinalem de Fürstenberg in Archiepiscopum eligere aut Postulare intenderent, libertati Ecclesiasticæ vim illatam, & specialiter in constitutiones Canonicas

in cap. quisquis. 43. extr. de Elect. & cap. sciant cuncti. 12. eod. tit. in 6.

peccatum esse : sed ubi constitutiones istæ ad incudem revocantur, claris & perspicuis verbis docent, quod sæcularibus potestatibus illicitum sit, Dominos Capitulares Eligentes ad unam certam personam eligendam metu adstringere; & hoc modo libertatem Ecclesiasticam potestati sæculari servilem quasi mancipare : cujusmodi violentiæ autem nec umbra doceri poterit, ex omnibus his, quæ supra mentionatus Dominus Comes de Kauniz ex mandato altissimè memoratæ Sac. Cæsareæ Majestatis gessit : quoniam verba propositionis suæ, ex quibus concussio evinci prætenditur, hæc sunt : *Nullam à Capitulo in personam Domini Cardinalis faciendam esse reflexionem NB. nolle tamen Majestatem Cæsaream per hoc libertati suffragiorum quicquam præjudicare, imò potius tueri, ne hic pariter uti & Argentinae factum, prorsus adimatur. Considerandum esse, quòd Diocesibus Germania temporalis jurisdictio cum Regalibus connexa sit, ideoq; non posse.*

posse illis illimitatam plane eligendi libertatem competere, sed eam in tantum esse restrictam, ut non liceat ab interesse Imperii recedere NB. adhortari itaq; Majestatem Cesaream Capitulares omnes & singulos NB. NB. ut juramentum, quod obstringuntur imperio, mature perpendant (& iterum notetur) omnia partium studia, omnesq; respectus privatos consanguinitatis & utilitatis propriæ seponant, (notetur notetur) & cum tot in suo gremio viros sede Archiepiscopali dignos numerent, ex iis tamen eligant, & quidem per vota secreta & scripta, qui de obtinenda confirmatione certus sit, & talem administrationem gesturus, ut Diæcesis novo æris alieni onere non gravetur, sed eo, quo jam onerata est, sublevetur &c.

Ex quibus omnibus, qui vel in minimo libertas Electionis violata sit? non video, multo magis vero ejus conservandæ paternam sollicitudinem Augustissimi Imperatoris & Domini nostri Clementissimi quilibet æquus Judex dignoscere potest: dum sua Majestas expressè testatur, se nolle libertati Ecclesiasticæ in quoquam præjudicare, sed eam potius tueri: qui quæso eruere vult compilator calumniarum? suam Majestatem Dominos Eligentes ad eligendam certam personam, sicut jura ab eodem allegata supponunt, metu concussisse, dum altissimè fata Majestas sua dictos Dominos Capitulares omnes & singulos comones fieri fecit, ut omnibus partium studiis & privatis affectibus procul positis perpenderent, se in gremio tot viros sede Archiepiscopali dignos nutrire, ac proinde secundum dictamen conscientiæ eligerent, quem & Ecclesiæ & bono Publico magis utilem dignoscerent, ane hoc violatio Ecclesiasticæ libertatis? an adstrictio ad certam personam eligendam? an concussio dicenda? quis igitur non invehatur in tam inverecundam, licentiosam & blasphemam pennam, quæ his & similibus sacrilegis incusationibus tantam Majestatem proscindere non veretur, cujus connatam incomparabilem benignitatem, Zelumq; conservandæ Ecclesiasticæ libertatis nihilominus palam con-

confiteri cogitur. At instabis fortè, Dominos Capitulares saltem absterritos esse, quo minus vota sua in Eminentissimum Dominum Postulandum contulerint: verum respondeo *Primò*, per id non sublatam, nec violatam, imò nec arctatam esse libertatem electionis, dum Dominis Capitularibus de reliquo liberum planè & integrum relictum fuit, ex tot viris, quos tali munere dignos enumerandos habebant, eligendi eum quicumque illis Ecclesiæ & Bono publico utilis videretur: unde non videndum, quâ viâ hic Sanctionibus Canonici

in cap. quisquis. 43. de Elect. & cap. sciant cuncti. 12. tit. eod. in 6.

vel in minimo contraventum sit. *Secundò* commonitionem hac in parte Dominis Capitularibus factam de munere & officio fuisse suæ Sacratiss. Cæsareæ Majestatis, habito respectu, quòd Archiepiscopatus iste Coloniensis annexam sibi & consociatam habeat dignitatem Electoralem Imperii Romano-Germanici, & hanc ob causam utilitas publica exigat, huic sedi Archiepiscopali de viro providere, qui non solum ad munera Ecclesiastica Archidiaecesana habilis & idoneus sit, verum etiam, cui arcana statûs tam interni quam externi in Imperio tuto & sine periculo Reipublicæ committi possint: cum enim teste Cicerone,

3. de Legibus

Salus Publica suprema lex, ejusdemque tutela, ut Seneca loquitur, Principi ante & super omnia commendata, imo ejus studium ita de essentia boni Principis sit, ut eo solo à Tyranno differat: Majestati autem Cæsareæ (prout in propositione ejusdem Legati supra fati Domini Comitis de Kauniz, in Capitulo facta, & infra sub *Num. 4.* annexa specialius recensitum habetur) cognitum sit, animum & affectum Eminentissimi Domini Cardinalis de Fürstenberg àb Augustissima domo Austriaca simul & Imperio Romano-Germanico totum alienum, & Coronæ Gallicæ, utpote
noto-

Num. 4.

notoriæ æmulæ germanici imperii planè devinctum & consecratum esse : ideo altissimè fata Majestas Cæsarea urgentissima præ se habebat motiva , omnem sollicitudinem eo impendendi , ne per electionem Capitularem inclyto Collegio Electorali tale subjectum obtruderetur , per quod Respublica Imperii manifesto periculo exponi , & ipsissima Ecclesia Coloniensis cum jurisdictionibus temporalibus ad eam pertinentibus , in maximum dispendium deduci , ac , prout de affectione notoriâ (quam benè fatus Eminentissimus Dominus Cardinalis erga Coronam Gallicam gerit) metuendum esset , àb Imperio Romano avelli & servituti Gallicæ subigi posset.

Cui nihil obstat , si quis forsan revertere vellet , vergere in præjudicium libertatis Ecclesiasticæ , & Constitutionum Canoniarum , si provisiones hujusmodi Ecclesiis viduatis faciendæ , àb arbitrio Principis sæcularis , etiamsi Ecclesiæ Advocati , dependere deberent : Ad hoc enim respondetur , aliam esse jurisdictionem Ecclesiasticam Archidiæcesanam , & aliam Electoralem temporalem : Cùm itaque , ut dictum , Ecclesia Metropolitana Coloniensis ambas has dignitates connexas habeat , negari non potest , eam respectu posterioris non minus Sac. Cæsareæ Majestati & Imperio vinculo Vasallitico obstrictam , quàm ratione prioris S. Sedi Apostolicæ subjectam esse . Et quemadmodum in facultate altissimè memoratæ Sac. Cæsareæ Majestatis non est , S. Sedem Pontificiam cogere , & quovis modo constringere , ut in hujusmodi Ecclesia indignum vel inidoneum , vel notum planè fautorem & sectatorem hæreseos , ac inimicum Ecclesiæ Catholicæ , pro Episcopo aut Archiepiscopo confirmare , & hoc ipso facto non solum totum gregem ejusdem tali hæretico commissæ Diæcesis , sed etiam , cum juxta Doctrinam Apostolicam .

S. Pauli. epist. 1. ad Corinth. cap. 5. v. 6.

K

modi-

modicum fermentum totam massam corrumpat, universam Rempublicam Catholicæ Ecclesiæ exitio & periculo everisionis exponere deberet : Ita vice versâ Ecclesiæ non fas est, adeo illimitatam & luxuriantem libertatem sibi arrogare, vigore cujus Capitulis Cathedralibus & Metropolitanis integrum sit, sub prætextu liberæ electionis summis Potestatibus sæcularibus pro administratione Reipublicæ adeo exosos, suspectos, averfos & infensos obtrudere, de quibus Respublica tam gravia indicia exitiorum haberet: quapropter eligendi libertas dictis Capitulis concessa, merito in tantum restringenda & circumscribenda est, ut saltem non eligant Cæsari & Imperio notoriè infensum, exosum & ingratum, considerando, quod inhabiles & odiosi in quâlibet concessione sint exclusi.

Jason. in L. 2. §. prætor. in primo notabili. ff. qui satisdar. cogunt. L. Livius. §. 6. ff. de Legat. 2. §. L. testamento centurio. §. 1. §. cum ita. 1. ff. de manu. test. Gomez. in §. item si quis. Inst. de action.

Ad hæc res per Imperium Romano-Germanicum nota est, quod Episcopi & Prælati tunc demum puri Vasalli Imperii esse cæperint, cum controversia de illorum investitura per baculum & annulum ab Imperatore perficienda, à Gregorio VII. mota, tandem ab Imperatore Henrico V. & Calixto II. Papa ita sopiretur, ut tales Clerici ratione dignitatis Ecclesiasticæ à Pontificibus, respectu verò territoriorum & feudorum Regalium etiam aliquo sæculari signo, nempe per sceptrum ab Imperatore investirentur:

Knichen in oper. Polit. lib. 2. part. 2. sect. 2. cap. 9. thes. 7.

Quibus stantibus iniquissima sanè res foret, si Capitula Ecclesiarum Cathedralium & Metropolitanarum, sub exquisito colore liberæ electionis, tam amplam authoritatem sibi assumere & prætereendere vellent : quâ supremo Capiti Romano Imperatori necessitatem imponere possent, eos, quo-

quorum averfus animus & perniciofum ftudium cognitum
 effct, nihilominus in feudis Regalibus investire; cum na-
 tura vinculi, quod inter Patronum seu Dominum feudi &
 vafallum intercedit, talis fit, quod feuda eâ lege dentur, ut
 vafallus & pofteri ejus beneficii authorem perpetuò agno-
 fcant, & pro Patrono colant; ejusq; caput, exiftimationem
 & fortunas tueantur.

Ut igitur libertati Ecclefiafticæ nihil refragatur, quod
 Domini Capitulares in fimilibus Electionibus àb eligendis
 indignis abftinere, vel fi indignum eligant, pati debeant,
 fi Sanctiffimus talem indignum dejiciat, & eligentes pu-
 niat: ita etiam libertati Electionis nihil prorfus derogat,
 quod in hujusmodi electionibus, refpectu connexæ dignita-
 tis fæcularis, à personis Imperatori & Republicæ fufpe-
 ctis, infenfis & exofis fibi cavere debeant; quoniam eadem
 eft ratio pofterioris, quæ prioris: & inde merito idem jus
 ftatuendum.

Res in fuper clara eft, quod summus Pontifex antequam
 aliquem Electum confirmet, vel Poftulatum admittat, dili-
 genter examinare debeat, & Electionis feu Poftulationis
 proceffum, & Electi feu Poftulati personam: ut per ejus-
 modi examen liquefiat non folum de meritis & idoneitate,
 Electi feu Poftulati, verum etiam de Zelo Dominorum eli-
 gentium feu poftulantium, quo ftudio, an nimirum boni
 publici? an vero privato partium eligentes elegerint, &
 poftulantes poftularint? cujus rationem affignat ipfe tex-
 tus Sac. Canonum

in cap. nihil. 44. de Elect.

his verbis. *Nihil eſſe, quod Eccleſie DEI magis officiat,
 quam quod indigni aſſumantur Prælati ad regimen animarum.
 Quare igitur non idem liceat Capiti Imperii in dignita-
 tibus fæcularibus àb imperio dependentibus, cum teſte
 Barboſa.*

K 2

de offic.

de offic. & potest. Episcop. part. 1. tit. 2. gloss. 3. num. 32.

multi non quærant eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesiæ prodesse, sed quos plus ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel dediti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, ut deteriora taceantur, qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt: Adeo ut Romano Imperatori, tanquam Capiti supremo totius Monarchiæ Romano Germanicæ, non minor cura incumbat, ut Officio Electorali de digno, & fido viro provideatur, quàm summo Pontifici, ut Archidiaçesi dignus & utilis pastor præficiatur.

Et quamvis, ut supra dictum, de minis, per propugnatorem prætensæ postulationis, ad longum latumque enarratis, nihil probatum sit, & juxta supra remonstrata nihil edoceri possit, ego tamen, casu posito, nullatenus verò concessio, quòd tales intercessissent; non reperio, per ejusmodi minas libertati Ecclesiasticæ qualemcunque vim illatam, multo minus verò contra constitutiones Canonicas

in cap. quisquis. 43. de Elect. & cap. sciant cuncti. 12. tit. eod. in 6.

vel in minimo peccatum esse, cum per minas tales Capitulis usus legitimæ libertatis non adimatur, sed solummodo abusus illegitimus ad regulas honestatis reducatur: quemadmodum enim contra libertatem Electionis non pugnat, quòd eligentibus indignum per ipsas Constitutiones Canonicas.

in cap. in cunctis. 7. extr. de Elect.

privatio potestatis eligendi, & triennalis suspensio à beneficiis Ecclesiasticis in pœnam comminata sit, additâ ratione, quòd dignum sit, ut, quos Dei timor à malo non revocat, Ecclesiasticæ saltem coërceat severitas disciplinæ, ita in propatulo est, concessam Capitulis Metropolitanis & Cathedralibus Germaniæ eligendi libertatem, non adeo exha-

exhabenatam, & sine fine modoque infinite illimitatam esse: cum non in hujusmodi omnificentia consistat libertas, ut alicui liberum sit, facere quodcumque velit, sed quod iudicio & rationi convenit.

Tabor in thesaur. locor. commun. lib. 10. cap. 17. axiom. 5.

Unde libertas ita servari debet, ut obedientia legibus divinis & honestis debita non tollatur, quibus dissolutis, vera libertas non est, sed mera vesania, quæ divina humanaque jura intervertit.

Knichen oper. Polit. lib. 2. part. 1. cap. 10. thes. 3.

Quam ob causam ex eadem & pari ratione Sac. Cæs. Majestati, tanquam supremo Romani Imperii Capiti, non potest non licere, legem dare Capitulis Metropolitanis & Cathedralibus, veluti respectu feudorum regalium & annexarum dignitatum sæcularium jure & vinculo vasallitico ab Imperio dependentibus; ne in electionibus suis talem personam eligant, quæ ratione connexæ dignitatis temporalis à sua Sac. Cæs. Majestate & Imperio, ex causis relevantibus, certis & cognitis, ad gremium consultationum publicarum non admitti posset, sed ab investitura rejici deberet: additâ comminatione, quod sua Majestas in casu, quo Capitulares hujusmodi tam paternæ & in salutem ac tranquillitatem Reipublicæ vergenti adhortationi contemptuosè contraire præsumpserint, Capitulis talibus liberam electionem sublatu- & Ecclesiis viduatæ deinceps Præsules nominatura esset: quod ipsum, quemadmodum & æquitati, & honestati, quinimo ipsissimis Legibus Divinis consentaneum est, ita legitimæ libertati Ecclesiasticæ in nihilo repugnat, sed eam solummodo ad rectos cancellos reducit, ne nimirum privilegiati Domini Capitulares eadem in dispendium Reipublicæ abutantur: cum enim semper & in omnibus actionibus ex causa, modo, & temperamento utendi, vel probandum, vel improbandum veniat, quod facimus,

S. Augustin. in c. quisquis. 1. dist. 41. Wefemb. in parat. ff. de acquir. rer. dom.

Ideo privilegio se indignum reddit, & amissionem ejus meretur, qui permiffa sibi abutitur potestate,
in cap. ubi, dist. 74. cap. privilegium 63. caus. 11. qu. 3.

praesertim quando abusus libertatis & privilegiorum in dispendium Reipublicae cederet, ac utilitati publicae repugnaret, cujus utilitatis causa, cum causae necessitatis aequiparetur

per Clement. 1. de reb. Eccles. non alien.

tantò in jure munita est favore, ut àb omni dispositione, prohibitione, privilegio & immunitate excepta videatur:

L. jubemus. 14. ubi. Bald. c. de SS. Eccles.

Si in rei veritate esset, quòd saepe nominatus personatus Alithophilus in sua decade dubiorum inter alia asserit, nimirum quòd nonnulli ex illis tredecim Dominis Capitularibus, qui vota sua ad praetensam postulationem Eminentissimi Domini Cardinalis de Fürstenberg contulerunt, inter se de stando pro Eminentia sua semper & pro semper conjurasse dicantur: certè ratio plusquam nimia foret Sacrae Caesareae Majestati, ejusmodi praemeditatum, consultum & temerarium contemptum non modo aegrè ferre, verum etiam ad condignas poenas revocare; quemadmodum enim non ex minimò contemptus genere est, Principis monita non audire, sic eisdem oblectari pro crimine laesae Majestatis reputatur, ut loquitur Faberius

in Alphab. Morali Politico sub verb. contemptus. axiom. 5.

Qua propter, cum àb autoritate Regum dependeat tutela salutis

Curtius. lib. 8. cap. 5.

Princeps ad sartam rectamq; conservandam autoritatem suam, omnem tam pravum contemptum arcere necesse habet,

habet, considerato, quòd sicut cætera vitia serpunt, ita vel maximè Regum contemptus, adeò, ut àb unico si vilipendì toleret, mox populi fiat ludibrium

dict. Faberius. loc. citat. axiom. 9.

quìa certum & experienciã ipsã comprobatum est, quòd contemptus omnem metum & reverentiam excludit, dum efficit, ut non solum aliquid contra Magistratum velint contemptores, sed etiam audeant & tentent

Knichen. oper. Polit. lib. 2. part. I. cap. 9. thes. 4.

quandoquidem autem de dictis Dominis Capitularibus ego pro tenui meo iudicio longè melioris sum sententiæ, quàm ut hujusmodi ausum refractarium de illis mihi persuadeã, ideo per hæc hypotheticè scripta integritati illorum nihil quippiam detractum volo, & fidem eorum, quæ prætaetus personatus Alithophilus ecque ex relatis alienis adducit, penes authorem relinquo.

Improbè autem exprobatum nonnullis Dominorum Capitularium, qui vota sua in electionem Serenissimi Ducis *Josephi Clementis* direxerant, quod die 7. Januarii, quando agebatur de deputando Coadjutore, suffragia sua, præmissò juramento corporali, in favorem Eminentissimi Domini Cardinalis de Fürstenberg dedissent; nuperã vero vice, in Electione Archiepiscopi, à priori suo voto resiliendo, sententiam mutassent, & vota sua pro altè fato Serenissimo Duce *Josepho Clemente* decantassent: Ad hoc enim respondetur, *Primò*, quod, si hoc variatio sententiæ dicendum, & reprehensibile foret, id Eminentissimo Domino Cardinali de Fürstenberg non minus, imò tanto magis exprobandum esset, quia omnibus sapientior, & prudentior religionis custoditor videri & æstimari vult, & nihilominus parem mutationem ediderit, dum ex supra allegato instrumento Notariali apparet, quòd die 7. Januarii, præmissò eodem, quod à cæteris præstitum est, juramento, de eligendo digniore, votum pro Coadjutoria dederit Celsissimo Nassoviæ Principi, in electi-

electione autem nupera 19. Julii celebrata Celsitudini suæ Illustrissimum Dominum Comitem de Reckeim Chori Episcopum prætulere, adeo ut ad tam improbam ac malè consultam exprobrationem meritò reponi possit, Turpe esse in aliis corrigere, quod quis in se ipso vigere conspicit.

Secundò res ipsa docet, quòd Dominis Capitularibus in nupera Electione die 19. Julii celebrata, multa ac varia ponderosa momenta consideranda occurrerint, quæ in anteriori die 7. Januarii habita consultatione de sufficiendo Coadjutore, vel planè non existebant, vel saltem hætenus notabiliter in alium statum redacta sunt; Cùm enim non tempora rebus, & res consiliis se aptent, sed vice versa, consilia rebus & res temporibus accommodari debeant

Halicarn. antiquit. Rom. lib. II. cap.

Multaque sæpe utilia tempus inveniatur & corrigat.

Synesius Cyrenensis Episcopus Epist. 57.

Prudentis sane est, majorem temporis & circumstantiarum, quam Consilii jam perfecti habere rationem, imitando Consilium Ciceronis

in Oratione pro Plancio. cap. 39.

ita loquentis: *An cum videam navem secundis ventis cursum tenentem suum, si non ea eum petat portum, quem ego aliquando probavi, sed alium non minus tutum atque tranquillum: cum tempestate pugnem periculosè potius, quam illi, salute præsertim propositâ, obtemperem? ac paream? Neque enim inconstantis puto, sententiam, tanquam aliquod navigium atq; cursum ex Reipublicæ tempestate moderari. Ego vero hæc didici, hæc vidi, hæc scripta legi, hæc de sapientissimis & clarissimis viris, & in hac Republica, & in aliis civitatibus monumenta nobis litteræ prodiderunt, non semper easdem sententias ab iisdem, sed quas-cunque Reipublicæ status, inclinatio temporum, ratio concordie postularet, esse defendendas. Ratio per se clara est, quia nimirum variæ occurrunt circumstantiæ personarum, loco-*
rum

rum & temporum, quæ in horam nova nobis consilia fugerunt: ita ut fieri possit, ut id, quod heri utile fuit, hodie damnosum sit; quam ob causam prudentes semper solent tam temporì cedere, quàm necessitati parere.

Cicero lib. 4. Epist. 9. & Senec. Epist. 20.

si quidem experientia ipsa testatur, quòd negocia Politica ferè nihil aliud sint, quàm talorum jactus, qui subinde aliter contingunt, & pro casu ludentem informare debent & afficere.

Si enim motiva, quæ Dominis Capitularibus Postulationem Eminentissimi Domini Cardinalis de Fürstenberg dissuadebant sincerè, & maturo trutine expendantur, nullus æquus & à studio partium alienus arbiter non agnoscat & cognoscat, ea longè potentiora & valentiora esse omnibus meritis & qualitatibus personam ejus recommendantibus, adeo ut multò sanius & salubrius sit sententia illorum, qui bonum publicum tam Ecclesiæ Metropolitanæ & Patriæ Colonienfis, quàm Univerfi Imperii Romano Germanici respectibus antehabuerunt, & secundum dictamen conscientiæ, pro Dei gloria, Ecclesiæ utilitate, & communi bono, vota sua direxerunt, quàm eorum, qui vulpino aucupio gallicarum sincerationum fascinati, præoccupatis suis opinionibus tenaciter inhærentes, Paternæ suæ Sac. Cæs. Majestatis adhortationi pervicaciter oblectati sunt.

Nam concesserim, quòd vel omnes, vel aliqui eorum non ex pernicioso studio contra salutem & tranquillitatem communem Sac. Rom. Imperii tale quid concluderint, sed sincerationibus Coronæ Gallicæ fidem firmam adhibuerint, Postulationem Eminentissimi Domini Cardinalis, propter eximiam ejus rerum peritiã & regnandi prudentiam in maximum emolumentum Reipublicæ cessuram; attamen ipsa hæc credulitas reprobanda est & vehementer culpabilis, quoniam ex tot tam innumeris non antiquis, sed re-

centissimis & vivis exemplis constat, quod hujusmodi sincerationes Gallorum, quanto sanctiori religione exornantur, tanto periculosius credulos irretire soleant, cum exiguo inter se limite distent, nimium credere & falli, & ex facili fide, plerumque erumpat aliena perfidia.

Faberius in Alphab. Moral. Polit. sub verb. perfidia axiom. 1.

Unde aucupes non fastibus, sed dulci cantu fistulae aviculas irretiunt, ut in proverbium plane abierit

Fistula dulces canit, volucres cum decipit aucups.

Eadem ratio etiam astutis servatur hominibus, quibus studium unicum est, quibus ementitis coloribus dictis & factis tantam sinceritatem adornare queant, ut credulitatem aliorum eludant: quod ipsum est, quod ante citatus Faberius

in dict. alphab. sub. verb. fides & fraus axiom. 7. & 8.

monet dicendo, obsequia simulare eum, qui latrocinia meditatur, & ignem tegere, qui incendia molitur.

Adhuc impium esset, monita sui tam religiosi & solliciti Regis, cujus curam pro salute singulorum atque universorum excubare indies experimur, spernere, & promissis externi Principis notorii insuper æmuli patriæ majorem fidem adjicere: ut quod ipsum haud leve argumentum ederet, ejusmodi animos majori reverentia erga exterum Principem propendere.

Quod si vero desideretur, quænam motiva specialiter in electione die 19. Julii celebrata, merita pro Eminentissimo Domino Cardinale antehabita tanto pondere suppresserint, ea sane ipsissimos Dominos Capitulares prætensæ postulationi tam tenaciter adhærentes minimè latere potuerunt: Primò namque notum est, quod Sanctissimus noster Romanus Pontifex benefato Domino Cardinali de Fürstenberg, non solum petitam Coadjutoriam Ecclesiæ Coloni-

nien-

niensis, verum etiam indultum eligibilitatis, singulari cura & sollicitudine quaesitum absolute denegaverit, imo, ut omnes illi scalas & alas ad aram Archiepiscopalem Coloniensem pertingendi praescinderet, etiam desideratam licentiam dimittendi Episcopatum Argentinensem recusaverit; ex quo haud difficulter conjecturandum erat; suam Sanctitatem gravia praese habere momenta, quibus suadentibus eadem Sanctitas sua multo minus postulationem praetacti Domini Eminentissimi Cardinalis admittere posset.

Cujus admissionis dubium *Secundo* tanto firmiori ratione suffultum stabat, quia, ut supra deductum, & ex jure notum est, postulatio nullum jus tribuit, sed mera gratia Summi Pontificis nititur, atque ideo sine ulla injuria rejici potuisset, quoniam denegatio ejus, quod ex nullo jure debetur, sed ex mera gratia dependet, injuriam non continet.

Et haec postulationis rejectio *Tertio* etiam ex hoc tanto indubitator videbatur, quod de displicentia & dissensu Sac. Caes. Majestatis, & Imperii sufficienter constabat; & evidens quasi erat, nullam pro Eminentissimo Domino Cardinale de admissione ejus personae in collegium Electorale, & obtinenda investitura in feudaregalia, spem concipiendam esse, adeo quidem, ut quilibet non obscure conjicere poterat, quod summus Pontifex ad evitandas discordias inter S. Sedem, & Imperium Romanum, nequaquam postulationem admissurus esset, praesertim cum suae Sanctitati perspectum & cognitum sit, dissensum altissime memoratae Sac. Caesareae Majestatis justissimis niti causis, rationibus & fundamentis, adeo, ut his admissioni hujusmodi postulationis, tam potenter reclamantibus Ecclesiae, quae cultrix est Justitiae

Tabor. in thesaur. locor. commun. lib. 5. cap. 2. axiom. I.

suae Sac. Caes. Majestati & Imperio ad Dignitatem Electoralem, tam exosam personam obtrudere, de jure non potuisset: habitâ consideratione, quod

Quarto secundum Doctrinam S. Thomæ aliorumque Theologorum pariter & Canonistarum non tanta habenda sit ratio excellentiæ in Doctrina, prudentia, senio, vel regiminis experientia, quàm utilitatis publicæ: itemque *Quinto*, quod Barbofa

de offic. Et potest. Episco. part. I. tit. I. cap. 3. num. 38.

expressè statuat, in hujusmodi Electionibus non debere eligi in Episcopum personam Principi suspectam: Adeo, ut pro *Sexto* Domini Capitulares rationabiliter non poterant non prævidere, per Postulationem Eminentissimi Domini Cardinalis se indignationem justam tam Sanctissimi Patris, quàm Sac. Caes. Majestatis incurfuros, & Ecclesiam Coloniensem maximis dispendiis immerfuros fore, præsertim eum

Septimo haud absque ratione metuere debebant, quod Dominus Cardinalis in casu, quo in concordia totius, vel saltem duarum partium Capituli postulatus fuisset, rejectioni summi Pontificis viâ facti contraire, & manutentionem possessionis vi armatâ & auxiliis Gallicis tentare, atque hoc ipso facto præter scandalum publicum, patriam Coloniensem vix non à flammis perpeffis adhuc firmantem, novo bello implicare, & ipsos Dominos Postulantes, qui eidem ad ejusmodi improbos ausus non consentire vellent, odio persequi, qui vero adhærerent, coram S. Sede Apostolica & Sac. Caes. Majestate paris criminis reos facere posset. Quod ipsum circumspèctè providendi tanto potentior ratio præextiterat, non solum, quia in genere ambitionis indoles est, quæ diu animo versaverit tandem ferro decernere; adeo ut non facilius, quam ambitionis igne arma accendantur; dum quisque vel rapere studet, quod ambit,

ambit, vel tenere quod rapit, ut inquit supra citatus Fa-
berius

in suo Alphab. sub verb. ambitio. axiom.

9. § 19.

Sed etiam quia in specie præ oculis habebant, qualiter sæ-
pefatus Eminentissimus Dominus Cardinalis tempore se-
dis Vacantis, Bonnam muniri, in aliisque locis fortioribus
Archidiæcesis præsidia augeri, militem conscribi, novasq;
& quidem peregrinas copias ad civitates & munitiones, &
quidem in tanta copia, ut in hospitationibus earum nec
domibus Clericorum & Ecclesiasticis immunitatibus par-
cebatur, introduci fecerit, & omnem apparatus ad grave
bellum adstruxerit, & præterquam, quod nesciatur, quibus
sumptibus hæc omnia facta sint, fortalitia Archidiæcesis
suspectis Præsidis & officialibus considerit. Ex quibus o-
mnibus non salutem, sed potius calamitates & everisionem
Archidiæcesis parari, quodlibet æquum, & patriæ amans
iudicium haud obscure dignoscere poterat: quousq; enim
nautæ navis periculo certant, quis eorum eam gubernare,
debeat, salus & securitas navi nunquam est; Et dum de pu-
pilli tutela, cui ea competat, armis disceptatur, pupilli
sumptibus & sanguine adeo res geritur, ut, quem salvum &
defensum uterque tutorum se velle profiteretur, ipso opere
offendi, & pessumdari videamus.

*Lymneus in suis annotamentis ad Capitulationes
Imperator. Romanorum. in Capitulat. Caroli V.
art. 9. verb. zum förderlichsten. §c. num. 24.*

Imo hæc tales extremitates infallibiliter in everisionem Ar-
chidiæcesis Coloniensis cessuras, & ad ejusdem avulsionem
à Romano imperio tendentes fore, quasi clarè perspicien-
dum erat, ex eo, quod tota fiducia in auxiliis Gallicis pone-
batur: qualia plerumque suum potius commodum & im-
perium prorogandum, quam conservationem alterius spe-
ctant, unde Livius

pro documento firmo & exemplo probato tradit, non ita externis credendum esse auxiliis, ut non plus sui roboris, suarumque propriè virium in castris quis habeat, & Vegetius

lib. 3. cap. 1. in fin.

illam servatam esse rationem, inquit, ne unquam amplior multitudo sociorum auxiliarium esset, quam civium Romanorum, quod ipsum etiam monet Imperator Mauricius

in strateg. lib. 8. cap. 2.

rationem hujus reddit Rupert. quando ita sentit.

Ad Flor. lib. 1. cap. 16. §. 1.

quacunque cerusâ pingatur hæc auxiliatorum opera, docent tamen infinita exempla, plerumque hos tales non incolumitatem sociorum, sed emolumentum suum & imperium spectare. Antiquiores Galli id exemplo verificârunt, de quibus Justinus

lib. 25. sue histor. mundi. cap. 2.

refert, quòd Galli à Bythinæ Rege in auxilium vocati, numero valentiores, partâ victoriâ, regnum cum eo diviserint, quapropter Author Bellator. Prudent, & Polit.

cap. 3. pagin. 16.

hortatur, ut Princeps quævis potius remedia experiatur, quam ut exuberantem militum auxiliarium copiam appetat, maximè si necesse habuerit, àb illorum dependere arbitrio, quodvis potius cum hoste pactum ineat, securius hoc ipsi, quam suspectarum copiarum auxilia.

Et quamvis ex parte Eminentissimi Domini Cardinalis de Fürstenberg, eiçque adhærentium Dominorum Capitularium asseratur, hoc fieri in securitatem limitum imperii, proindeque potius laudandum quàm perstringendum esse: De cætero se non teneri ad reddendam rationem, excujus ære unum alterumque perficiatur. Hoc tamen Eminentissimum Dominum Cardinalem, ejusdemque adhærentes

à su-

â suspicione vehementinô relevat, sed multo magis gravat, ex eo, quod reliqui Domini Capitulares, qui ecque partem Capituli constituunt, tenore protestationis suæ infra annexæ, expressè contestentur, sibi nihil constare, unde pecuniæ, pro tantis operibus, & tam numeroso milite alendo requisitæ, quibus solvendis patria Coloniensis depauperata minimè sufficiat, desumantur. Ut propterea metuum dum illis ipsis sit, ne exteris Potentiis, quæ nervum alendi tam copiosi militis forte suppeditant, aut ipsas etiam militum copias subministrant, gravis inde prætensio in Archidiaëcesin quæri possit.

Ex quo ipso, quod una solummodo pars Capituli clam alterâ, hæc talia tam gravia negocia, â quibus vix non tam salus, quam interitus totius Archidiaëcesis dependere videtur, tractare, deliberare, & exequi præsumat, & quidem, mediantibus auxiliis talis potentiæ, cujus studium & ambitionem ardenti planè desiderio ad subjugandam & avellendam hanc Archidiaëcesin âb Imperio Romano, â longo jam tempore incubare, nemo ignorat; argumentum sanè non leviusculum, sed momentosum desumi potest, sub hujusmodi moliminibus clandestinis exitiosum latere venenum; quoniam ipsa clandestinitas dolum arguit.

Bald. in L. error. col. 4. C. de jur. & fact. ign. quem allegat. & sequitur Zas. in cons. 18. num. 9. lib. I. text. in L. fin. ff. de rit. nupt.

Et hoc eo magis, si aliquid tanti momenti tractetur clam & inconsultis illis, quibus de re notitiam habere jure competit, quorumque consensus necessariò requiritur: Et certò vix quisquam â veritate aberraverit, qui dixerit, coronam Gallicam firmam spem concepisse, si non consilio & operâ, saltem occasione Eminentissimi Domini Cardinalis Archidiaëcesin Coloniensem medio copiarum auxilium sub specie foederis, precariâ servitute sibi devincire, cum id non solum âb exemplis præcedentis sæculi, in Mete, Tullo

Tullo & Verudino exhibitis rationabiliter arguendum sit, verum id ipsum satis superque prodit, quod Eminentissimus Dominus Cardinalis dixisse scribatur, Nihil statibus & subditis Archidiaecesis Coloniensis à copiis Gallicis, ut quæ protectionis solummodo causâ adducerentur, metuendum esse: *O præclarum Custodem Orvium, ut ajunt, lupum.* Quasi verò non sufficienter ex historiæ Codicibus constaret, quâ ratione Merensis, Tullensis, & Verudinensis Diæceses in priori sæculo à Imperio Romano avulsæ essent, de quibus Sleidanus

lib. 24. pag. 702. & 727. & seqq.

refert; Metim in Lotharingia sitam, celeberrimam, ut ex omnibus matriculis notum est, imperialem urbem & Episcopalem sedem, à Henrico secundo Galliarum Rege An. 1552. unâ cum Tullo & Verudino & illorum Episcopatibus ac territoriis sub specie iniiti cum protestantibus Imperii Principibus fæderis & protectionis, post ostensam, sed non adhibitam vim, partim persuasionibus, partim fraude occupatam, primum præsidio, postea verò operibus munitam esse. Quis enim nescit? hujusmodi protectionem, plerumque miseram servitutem falsò pacem vocatam, secum ferre; quem in Politicis versatum latet, quod Cornelius Tacitus

Histor. lib. 4. cap. 12. num. 4.

testatur, nempe, socios societate validiorum atteri, Unde etiam teste eodem Tacito

id. Histor. lib. 4. cap. 14. num. 5.

Civilis Batavus de hujusmodi astutus perfidis contra Romanos conquestus est, his verbis; *Neque enim societatem ut olim, sed tanquam mancipia haberi: ejusdem valoris quoque est, quod Festus Rufus, allegatus à Grotio*

de I. B. & P. lib. 1. cap. 3. §. 21. in notat. ad nu. 10. de Rhodiis, molle eorum servitium depingens, refert hoc modo: quod primum liberè egerint, postea in consuetudi-

tudinem parendi, Romanis clementer provocantibus per-
venerint.

Et cum nemo sibi persuadeat, hæc & alia similia eximiã
prudentiam Eminentissimi Domini Cardinalis fugere posse,
ideo ejusdem nimia fiducia in suspectis auxiliis Coronæ
Gallicæ, tanquam notoriæ æmulæ Romani Imperii, & Ger-
manicæ libertatis posita, non potest non esse suspecta, præ-
sertim cum tractatus & consilia, quæ in negotio tanti præ-
judicii celebrantur, clam & inconsultis tot Dominis Capi-
tularibus perficiuntur; prout ex ante fata protestatione
infra annexâ non modo conjiciendum, verum patens est.

Hæc itaq; & similia motiva nunquid sat ponderis præ-
se ferunt, ad superandam libram qualitatum & donorum,
quibus in cætero toties fati Domini Cardinalis Eminentia
dotata & condecorata est, præsertim cum Sanctissimus Do-
minus noster Romanus Pontifex, per indultum eligibilitatis
Serenissimo Duci *Josepho Clementi* comunicatum, suæ Emi-
nentiæ tale subjectum opposuit, cujus dignitati & meritis
quilibet æquus, & nullo partium studio præoccupatus ju-
dex, præ Eminentissimo Domino Cardinale palmam de-
ferre cogitur:

Etsi enim familiæ perantiquæ & illustri Principum &
Comitum de Fürstenberg non sugillandum, sed notorium
sit, ac à Knichen

*in oper. Politic, lib. 2. part. 3. sect. 2. cap. 2. thes.
12. ante fin.*

referatur, quòd propter præclara & meritoria suorum ma-
jorum gesta, Franciscus Egon, Egonis Comitis Fürstenber-
gici filius, cum fratribus suis à moderno nostro Augustissi-
mo Imperatore Leopoldo Primo Anno 1661. ita in Princi-
pum dignitatem evectus sit, ut secundum pacta familiæ
semper primogenitus, vel senior potius, Princeps esset, &
ideo cum primogenitus Ferdinandus Fridericus Egon mor-
tuis fuerat, ejus frater Quartogenitus (quia secundo &
ter-

M

ter-

tertio genitus Clerici etiam fuerunt) Hermannus Egon reli-
 gioso Ecclesiastico statu, principalem dignitatem assumpse-
 rit, & Anno 1667. in Collegium Principum in Comitibus Ra-
 tisbonensibus receptus fuerit: Nemo tamen dubitat, quin
 sua Eminentia Dominus Cardinalis juxta prudentiam &
 modestiam suam sibi ipsi facile persuaserit, se non habere,
 unde Serenissimæ domui Electorali Bavaricæ hoc in passu,
 de dignitate nimirum familiæ litem movere, & vel compa-
 rationem cum Serenissimo Duce Josepho Clemente præ-
 tendere posset, cum haud dubiè agnoverit disparitatis ra-
 tionem, quæ inter tantum Principem & Comitem Pri-
 vatum, licet Principali dignitate insignitum intercedit, &
 militat.

Neque etiam suæ Eminentia laudibus in eo contradi-
 cendum est, quòd nimirum insigni rerum gerendarum pe-
 ritiâ & prudentiâ regnativâ prædita sit, & quòd multarum
 rerum usus ac experientia eandem erudierit atque effece-
 rit, ut quid expediat, acutius, quàm alius minus versatus
 perspiciat, prout Isocrates

Epistol. 6. pag. 281.

testatur, quoniam secundum judicium Aristotelis

7. Politic. 9.

natura ipsa, sicut junioribus vires, ita senioribus prudentiâ
 largitur, quod & placuisse videtur Ovidio

6. Metamorph. v. 29.

scribenti. - - - Seris venit usus àb annis.

& *2. de arte amandi. v. 675. Et seq.*

Adde, quod & senibus rerum prudentia major:

Solus & artificis qui facit usus adest.

Bed nec ob hanc posthabendum esse Serenissimum Ducem
Josephum Clementem facile quis affirmaverit, qui aliquanto
 altius perpenderit, quod secundum illud Plautin.

in Trinum. Act. 2. Sc. 2.

non

non ætate, verum ingenio adipiscamur sapientiam, & ob hanc causam quoque Nazarius

in Panegy. Constant. cap. 16.

moneat, cursum ætatis non expectandum esse in festinatione virtutis. quod etiam Cicero egregiè demonstrat

5. Philipp. cap. 17.

hoc modo scribendo; Apud antiquos Rulli, Decii, Corvini, multiq̄ue alii, recentiore autem memoriâ superior Africanus, T. Flaminius admodum adolescentes Consules facti, tantas res gesserunt, ut Populi Romani Imperium auxerint, nomen ornârint,

Quid Alexander Macedo? cum âb ineunte ætate res maximas gerere cæpisset, nonne tertio & tricésimo anno mortem obiit? Sic Honorius adhuc vix adolescentiam egressus, Consul â Principe creatus est

L. nemo. 14. C. de Religios. & sumpt. fun. L. fin.

C. de privileg. eorum, qui in sacro Palatio milit.

ut alios taceam, pro pluribus de adolescentum prudentia legendis lectorem ad Meursium remittendo, hæc & similia potissimum speranda esse duco in tam eximiè & præclare natis, de quibus optima quæq; nobis pollicemur, non tantum ex eo, quia secundum Senecam,

Epistol. 39.

Neminem excelsi ingenii virum humilia delectant & sordida, verum etiam quia hujusmodi magnorum Principum hæredes nativam quasi secum ferant prudentiam & præcellentiam in acumine ingenii, & quam primum in infantia sua âb ubere nutricis ad omnis generis præclaras scientias applicantur, educatoribus, vel informatoribus inculpatæ vitæ, optimè moratis, versatis, providis & circumspectis committuntur, dum circa tales sollicitè observatur doctrina Sævedræ

1. Symbol. Polit.

dicentis, quod si aquilam instrueret noctua, non doceret,

unquam oculos in solem intendere, nec altas cedros volatu transcendere, sed in tenebris intra depressiores arborum ramos alta disciplina confisteret: quod ipsum non postremam aut infimam rationem esse arbitror ejus, quod hujusmodi summorum Principū filii decimo octavo ætatis anno de jure imperii habeantur habiles, ad regendos Electoratus, & capessendum supremum imperii regimen.

Nam hujusmodi eximiæ personæ mox inscita sua infantia in optimis & præclarissimis artibus & disciplinis imbuuntur, & per laudabilia facta suorum majorum, in tabulis, æribus, & marmoribus conspectui eorum proposita, ad singularem virtutis Zelum inflammantur: ratio est, secundum Platonem.

4. de Republ. post. pr.

tum quod iisdem exercitiis, quibus transacta est adolescentia, etiam virilis ætas detinetur: tum, quod non facile eluantur colores, quibus natus lanarum candor inficitur.

Ut enim præcepta ex usu, historia, peregrinatione & conversatione cum sapientibus à doctis præscripta & tradita, prima jaciunt Prudentiæ Politicæ fundamenta in juventute, priusquam ad res gerendas quis adhibeatur, sic his fundamentis imbuti, affectibus suis frenum eo facilius imponere queunt. quod respexit Plutarchus

in Coriolano cap. 1.

ita scribens: Nullum est majus donum, quod acceptum bonitati Musarum homines ferre debeant, quam quod doctrinâ & disciplinâ emolliantur, & mitigantur ingenia, modumque tenere & nimia vitare discunt. &

in Mario. capit. 2.

si Marius persuaderi sibi passus fuisset, ut Græcis Musis & Gratiis sacrificaret, haud profecto turpissimam pulcherrimis rebus bello paceque à se gestis, coronidem imposuisset, per iram intemperativamque ambitionem, cupiditatesque

tesque immedicabiles in crudelissimam & sævissimam pro-
 vectus senectutem.

Unde non immerito semper majora & meliora de tan-
 torum Principum filiis, quàm de aliis speranda sunt, quia
 his duplices plerumque præficiuntur informatores, alter
 morum; alter scientiarum, ut ille hominem externum sive
 corpus, hic internum sive animum: uterque autem ut-
 rumque prudentiâ & certâ moderatione curet: Hujusmodi
 namque excelsorum Principum filiorum sensibus sollicitè
 & circumspectè amoventur omnia eos corrumpentia,
 præsertim oculis & auribus omnia sordida, turpia & invere-
 cunda subtrahuntur, omnis virtus illis enixè imprimitur;
 Eruditio & quidem non vulgaris aut plebeia, sed viro Prin-
 cipi aliquando conducens, nempe Philosophia Practica,
 historiarum cognitio, & similia alia imprimuntur, eaque
 propter illis plerumque dantur informatores Viri nobiles,
 graves, morati, modesti, aularum gnari, affabiles, historia-
 rum & Philosophiæ Practicæ perfectam notitiam habentes,
 in exercitiis versati, & rerum gerendarum optimè periti.
 Omnis industria circa eos educandos in id dirigitur, ut in
 deflectione vitiorum, ac detestatione decenti malitiæ fre-
 num injiciatur, & studio virtutum incentivum, plausibili
 gloriæ lenocinio îndatur: Et idcirco ipsis in informatione
 adjunguntur nobilium & clarorum virorum filii coætanei,
 bonæ indolis & magnæ spei, tum ad studium per æmulati-
 onem promovendum, tum ad juniorem Principem, per no-
 bilium talium castigationem & increpationem à vitiis aver-
 tendum: adeo, ut mirum inde non sit, si ejusmodi Principum
 filii in tenerâ sua ætate sæpe majorem scientiâ consequan-
 tur, quam alii diuturnis laboribus & experientia compara-
 re valent, quoniam Comineus *lib. 2. cap. 6.* affirmat, quòd in uno solo libro tribus solis mensibus plus
 videre possit unus homo, quàm experientia ususque rerum

& conspectus vitæ viginti integros docere possint, etiam si ordine suam alteri ætatem alter subjunxerit.

Quæ omnia & singula filii Comitum privatorum non adeo facili & tempestivo compendio comparare possunt, sed diuturnis peregrinationibus, aularum perlustrationibus, multis ac longinquis conversationibus cum viris sapientibus, historiarum lectionibus, & unico verbout dicam, ex multo rerum usu & experientia laboriosissimè, & multorum temporum dispendio conquirere coguntur: ac si demum aliqua perfectio in illis eniteat, ea plerumque in certis quibusdam singulis, iisque paucis qualitatibus virtutis absoluta est & consistit, quas natura illis, quos ex cunabulis suis ad sceptrum destinavit, potissimum omnes simul congestas in dotem nativam conferre solet, quâ propter illi, nimirum qui licet illustri, inferiori tamen aliquantum stemmate progeniti sunt, plerumque aptiores esse solent ad ministeria summorum Principum, quam ad summa fastigia imperii & thronorum conscendere, satius est, ut Angelos tutelares, quam ut Deos in patria agant; quoniam ordini ipsi (quo tanquam fortissimo vinculo totius mundi machina continetur) imò & Justitiæ magis conforme est, ut ex aquila progenitus in Scena Imperii thronum & sceptrum teneat, reliqui verò paulò inferiores, præclari tamen viri aulam prioris & Ministerium insigni suâ prudentiâ & virtute ad imperii gloriam & Reipublicæ salutem exornent: Ratio prioris est, tum, quòd secundum Knichen,

oper. Polit. lib. 2. part. 1. cap. 3. thes. 2.

inveteratis Regiis stirpibus semper aliquid Religionis & Majestatis inesse putetur. tum etiam quòd alii extranei & contermini Reges & Principes non solum ob vinculum affinitatis & sanguinis, sed etiam ob majorem tali connatam similitudinem, & ortus paritatem potiori eundem affectu prosequi soleant, quoniam notum est, quòd similis similitudine magis capiatur, & delectetur: posterioris vero ratio
peti-

petitur ex eo, quod Princeps, quantumcunque Prudens ille ipse sit, semper tamen viris aliis prudentibus adiutoribus opus habeat, cujus rationis ratio est, quia, et si Princeps est, homo tamen est, unus est, humani àb eo nihil alienum est, Regium diadema ipsum àb unitatis numero & humana lege non eximit, unius vero hominis mens, ut Tiberius apud Tacitum.

Annal. lib. 1. cap. 11. num. 2.

loquitur, tantæ molis capax non sit, ut omnia suâ scientiâ complecti possit, cum inter Mortales ille Atlas, qui sine Hercule negotiorum Politicorum columnam sustinere queat, nondum repertus sit; unde Petrus Aldobrandinus Cardinalis, tradente Farnesio

in Apophthegm. illius. tit. 18. num. 1.

ad quæstionem, quid potissimum cavere debeat Princeps? respondit, Ne præ nimia sui fiducia alienum consilium negligat.

Neque silentio prætereundum hæc occasione esse ducò, quod illi, qui quidem ex nobiliori, nihilominus tamen aliquantum inferiori prosapia progeniti sunt, quando ultra communem & ordinarium modum à fortuna ad insolitum, & supremum felicitatis gradum extolluntur, raro fortunâ suâ tali modestiâ uti noverint, sicut hi, qui ad diademata nati, ac itaque ex quodam naturæ privilegio, quandam prærogativam ad sceptrâ consecuti sunt: fortuna enim, inquit Simocata

lib. 2. Histor. Mauric. cap. 8.

naturâ suâ insolens est & superba, ita, ut re feliciter gestâ animos in præterita firmitate constantiaque conservare nesciat. unde etiam fit, quod teste Faberio

in Alphab. morali Politic. sub verb. felicitas. axiom. 22.

secundo fluxu ducta felicitas insaniam pariat. ita quidem, ut tales, præsertim si ob quandam prudentiæ excellentiam eve-

evehantur, nimium superbiant, per consilia prudentum, authoritati vel prudentiæ suæ aliquid decedere putent, inde omnia de suâ unius sententiâ agunt, & non raro Rempublicam maximis exitis immergunt, quia prolethali Reipublicæ signo habent prudentes, ubi vel Princeps consilium petere negligit, vel in idoneos alit consiliarios: quapropter etiam Livius

lib. 22. cap. 29.

refert, Minucium pro Concione militari dixisse, se sapius audivisse, eum primum esse virum, qui ipse consulat, quod in rem est: Secundum eum, qui bene monenti obediat: qui vero nec ipse consulere, nec alteri parere scit, eum extremi esse ingenii.

Accedit & alterum, quod & tales insolite evecti in suo regimine sapiusculè nimis asperi & vix non intolerabiles planè fiant, de quo lectionem exemplis non molestam reddam, sed Sententiam Salomonis in testimonium adducam

Proverbior, cap. 30. v. 21. & 22.

dicentis, per tria moveri terram: & ex his primo loco patientis: Per servum cum regnaverit, quod idem etiam affirmat Claudianus

lib. 1. in Eutrop. vers. 181. & seqq.

dum hoc modo scribit

*Asperius nihil est, humili cum surgit in altum,
Cuncta ferit, dum cuncta timet, deservit in omnes
Ut se posse putent, nec bellua tetrior ulla est,
Quam servi rabies in libera colla furentis.*

Quæ quidem de Eminentissimo Domino Cardinale de Fürstenberg idè non sentiendæ, quia eximia ejus prudentia & rerum gerendarum peritia spem melioris moderaminis & modestiæ præbet: nihilominus tamen ut sapius contingi solita, in hujusmodi electionibus ad considerationem revocanda non immeritò sunt, quia teste Pollione

in Claud. cap. 11.

for-

fortunâ nimiâ etiam sapientum animi fatigantur; ut proinde Knichen

in oper. Polit. lib. 2. part. 4. cap. II. thes. 6.

affirmet, paucis mortalium eam concessam esse felicitatem, ut fortunam prosperam moderatè ferre queant: Ex quibus deductis omnibus apparet, quòd Eminentissimus Dominus Cardinalis de Fürstenberg, etsi ex illustri & antiqua, multisque Principibus sanguine juncta familia Dominorum Comitum de Fürstenberg progenitus, attamen cum sublimitate & dignitate Domus Electoralis Bavaricæ, ex qua Serenissimus Dux *Josephus Clemens* &c. ortum & profapiam trahit, non comparandus, sed longè inferior sit, quòd clarissimè schema sessionum in Collegiis Principum, in Universalibus Imperii Comitibus demonstrat, cum in hoc Principum collegio (ut de Electorali taceam) Duces Bavarici primum post Archiduces Austriæ, & sic in ordine secundum: Princeps vero Fürstenbergicus nonagesimum primum locum teneat: in cæteris qualitatibus autem, quamvis negari non possit, earundem multas in beneficio Eminentissimo Domino Cardinale adeo conspicuas rutillare, ut eundem sede Archiepiscopali dignum testentur: Ex eo tamen non evincitur, quòd dignior sit alte memorato Serenissimo Duce *Josepho clemente*: nisi vel ex sola quantitate temporis qualitatem meriti æstimare velimus: ad hoc namque, ut quis verè dignior appelletur & sit, laudata habitas non sufficit, sed plura requiruntur: quæ de Eminentissimo Domino Cardinali in opposito Serenissimi Ducis *Josephi Clementis* doceri vix poterunt: præsertim si respectus habeatur ad connexam huic Archidiæcesi Colonienfi dignitatem Electoralem, in cujus consideratione (prout ex motivis infra sub *Num. 5.* adjunctis videre est) mensura *Num. 5.* habitas ex majore boni communis tam Archidiæcesis Colonienfis, quam totius imperii promotione desumi debet: adeo, ut licet alias doctior, vel prudentior, vel in Re-

N

gimine

gimine magis expertus, si non sit pro hic & nunc bono communi utilior, ex Doctrina S. Thomæ aliorumque Theologorum pariter & Canonistarum, pro digniore nequaquam habendus, sicque nec prudenter Eligibilis sit.:

Quod si vero ad merita avita recurrere, & ex illis patrocinium petere animus sit, nemo quidem tam veritati inimicus erit, aut inficias ibit, quod per antiquum & secundum relata Latzii

de Migration. Gentium. lib. 8. fol. 413. & seq.

itemque Zeilleri

von den zehen Kreissen. tit. 7. pag. 497. & seqq. itemq. pag. 564.

diversorum Principum familiis sanguine junctum stemma Dominorum Comitum de Fürstenberg plurimos de Republica totius Christianitatis pariter ac Imperii Romano Germanici, tam in Sago, quam in toga optimè meritos Athletas progenuerit ac nutriverit, ita quidem, ut & antiquiora

à Bucelin. in germania. Tom. 4. fol. 88.

allata, aliaque recentiora ab aliis tradita, non laudis debitæ invidiâ, sed solum brevitatis studio prætereundo, unus nomine Ludovicus cum 60. equitibus expeditioni Henrici Primi Imperatoris adversus Hunnos susceptæ, & primo torneamento Anno 938. Magdeburgi celebrato interfuerit.

Modius in Pandect. Triumphal. Tom. 2. lib. 1. fol. 14. & 17.

Quandoquidem autem nobilium & præclarorum parentum gloriosissimum esse solet Epitaphium, si meritorias suas virtutes in suis posteris radices agere, & cum nomine propagari videant: idè Knichen

oper. Polit. lib. 2. part. 2. sect. 1. cap. thes. 11.

judicat, quod primi nobilitatis concessores ad propagandam virtutem melius fecissent, si hanc posteris non inde-

fini-

finite, sed saltem virtutibus paternis vel avitis insistentibus
 communicatam vel hæreditariam fecissent. ad imitatio-
 nem Imperatoris Alexandri Severi, qui referente Lam-
 pridio

in ejus vita. capit. 58.

imitaneis Ducibus & militibus hostiles agros concessit, ita,
 ut eorum taliter essent, si hæredes eorum militarent: Cer-
 to, si Eminentissimus Dominus Cardinalis de Fürstenberg,
 sicut alias suorum illustrium natorum egregias virtutes,
 quas in illo præclare enitere conspiciamus, ita etiam affectu
 & amorem Sac. Romano Imperio, tanquam patriæ suæ ex
 immutabili lege naturæ debitum sectatus esset; nullum
 dubium foret, quin patria tam felicem filium condignè
 præmiare, & præ aliis extollere nunquam desineret: Sed
 quoniam alte fata sua Eminentia per certas quasdam acti-
 ones, apud Sac. Cæs. Majestatem & status Romani Imperii
 exosas, vehementem sibi suspensionem contraxit; eandem
 Eminentiam suam in hoc saltè genere virtutis, nimirum in
 fide & affectu erga Romano Germanicum Imperium debi-
 to, à vestigiis majorum suorum deflexisse, ideo videmus,
 quod hujus tam vehementis suspensionis nubem omnia
 præclara majorum merita non discutere valeant, sed si-
 mul cum omnibus suæ Eminentia propriis Laudibus of-
 fuscata in eadem latere debeant; ut proinde invalidum sit
 patrocinium, quod ex majorum meritis petitur, nisi hæc
 sint propriis benegeſtis illustrata, adeo, ut benè scripserit
 Meursius

de Gloria. Capit. 21.

illud, inquit, solum tuum est, quod meruisti, alienum,
 quidquid à majoribus tenes, in quod fortunæ plus juris,
 quam tibi: & Ovidius.

Metamorph. 13. vers. 140. & seq.

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi
 Vix ea nostra puto.

Contra hæc si merita Serenissimi Ducis *Josephi Clementis* in medium producamus, ipse etiam invidiae livor fateri cogitur, eum esse Principem ortum ex Prosapia, ex qua tot illustres Catholicæ fidei defensores atque Clarissimi Principes pro longâ serie prodierunt: Fratrem Germanum Christiani Herculis, nimirum Serenissimi ac Potentissimi Principis ac Domini Domini Maximiliani Emanuelis, utriusque Bavariæ & Superioris Palatinatus Ducis, Sacrique Romani Imperii Principis Electoris, cujus præclara in Ecclesiam Dei & universam Rempublicam Christianam merita omnis humanæ laudis præconium longè supergressa sunt, ita ut & de ipso Serenissimo Duce *Josepho Clemente* nulli prorsus ambigendum sit, eundem non minus majoribus suis splendori futurum, quàm illorum splendore niti: quam spem firmat Antonius in sua Oratione laudi interfecti Julii Cæsaris dicta

apud Dionem. lib. 44. fol. 259.

his verbis: quibus semina Virtutis à majoribus per multum tempus ducta adsunt, fieri non potest, quin & ingentia & perpetua virtute sint præditi. Quo etiam respectu *Baldwinus*.

Ad instit. de Jure personarum

Scripsit: Credi debere, claros natales plerumque tribuere majores ad virtutem impetus, & in familiis heroicis vim naturæ præstantiorem esse: quia nobilitas sanguinis plerumque adjunctam habet nobilitatem mentis, estque magnus ad virtutem stimulus majorum Virtus, ne ab eâ quis degeneret: Etsi enim non illicò per universum orbem comparet, nunquam tamen adeo latere ullibi potest, quin actiones ejusdem omnes & singulæ ab omnibus observentur. Quoniam *Mecæate* teste

apud dict. Dion. lib. 52. fol. 489.

Princeps velut in quodam teatro orbis terrarum vivit, & inde fieri non potest, quin actiones ejus omnes & singulæ ab omnibus observentur.

Ridi-

Ridiculum sane est, quod pro meritis Eminentissimo Domino Cardinali adnumerare praetendat Postulationis invalidae propugnator, omnia officia, quae benefactis Eminentissimus Dominus Ecclesiae Metropolitanae Coloniensi in qualitate Canonici Capitularis, Scholastici & Praelati, itemque Decani & Primarii Praelati praestitit: quasi vero per fructus & beneficia ex omnibus his officiis percepta, non sat opulenter compensata essent quaecunque officia ab eadem Eminentia Ecclesiae Coloniensi praestita: quis enim ignorat, Clericos Ecclesiae, a qua stipendium recipiunt, plene famulari debere, adeo, ut qui officia non praestat, beneficia percipere non possit ac debeat, per textum expressum Constitutionum Canoniarum.

in cap. diversis fallaciis. §. extr. de Cleric. conjugat.

quia beneficia dantur propter officia

L. generaliter. §. 1. C. de Episc. & Cleric. L. ult. C. de restit. milit. Nicolaus Carcia. de benef. part. 1. cap. 2. nu. 60. & part. 7. cap. 11. nu. 1.

& inter beneficium & beneficiatum contrahitur matrimonium, ut ad eum, qui non praestat officium, non debeat pertinere beneficium.

Text. est. 2. feud. 21. in fin. de milit. qui arma bellica depos. Boer. consil. 33. num. 18. per Panorm. in cap. consideramus. De Elect. junctis iis, quae dicit in cap. accedens. 24. de Praeb.

Ut proinde vix quis aberraverit, qui dixerit, Eminentissimum Dominum Cardinalem de Furstenberg ab Ecclesia Metropolitana Coloniensi plus beneficiorum percepisse, quam eidem Ecclesiae officiorum praestitisse: quod idem de Serenissimis Ducibus ex domo Electorali Bavarica dici non potest, ut qui semper & quibuscunque temporibus in id unice excubavere, quo dictae Ecclesiae & Patriae Coloniensi non minus prodesse, quam praesse potuerint: Nec etiam in minimo quid-

quam prodesse potest prætenſæ poſtulationi Eminentiffimi Domini Cardinalis de Furſtenberg quod aſſeritur Reuerendiſſimum & Ampliſſimum Dominum Canonicum Geyervotis poſtulantium Dominorum Capitularium aſſeſſiſſe, & numerum eorum auxiſſe, adeo ut pro alterato Eminentiffimo Domino Cardinale, 14. Suffragia Poſtulantia exiſterent, nam præterquam quòd talis acceſſio nec de jure fieri potuiſſet, nec in rei veritate facta ſit, per eam tamen numerus duas tertias Capituli conſtituens in hoc caſu neceſſarius, & de jure irremiſſibiliter requiſitus nondum completus, & ideo poſtulatione nihilominus invalida & nulla eſſet: Ad hæc inopem prætenſæ Poſtulationis propugnatores latere non poſſent, quòd etſi ſecundum conſtitutiones Canonicas.

in cap. bonæ memoriæ. 4. extr. de Poſtulat. Prælat.

Poſtulantibus quidem integrum ſit, quouſque poſtulatione præſentata eſt Superiori, etiam poſt publicatum Scrutinium variare, hoc tamen haud quaquam liceat eligentibus: Nam quamvis olim teſte Nicolao Abbate

ad cap. publicato. 58. extr. de Elect.

variæ fuerant opinionones, dum quidam dicebant, Electores poſſe variare, uſque ad ſubſcriptionem Electionis, alii, donec electus conſentiret, item alii uſque ad confirmationem: ad tollendam tamen hanc opinionum diverſitatem: per decretalem,

in modo citat. capit. publicato. Et,

modus certus ſtatutus eſt, quòd poſt publicatum ſcrutinium non amplius ſit locus variationi: Et ex hac ratione tradit idem Nicolaus Abbas

ad ante citat. cap. bonæ memoriæ. 4. extr. de Poſtulat. Prælat.

quòd in hoc habeatur differentia quoad facultatem variandi inter poſtulationem & Electionem, quia in electione non admittitur variatio poſt publicationem ſcrutinii, quæ tamen

in

in postulatione admittitur, quantum cunque sit publicatum
scrutinium, & postulatio inde sit secuta; cum satis sit, quod
non adhuc præsentata Superiori: ratio autem diversitatis
hæc est, quod per postulationem nullum jus sit quæsitum
postulato: ut exinde perspicere sit, quam infirmis & fragili-
bus fulcris sustineri prætendatur ex se invalida & planè im-
matura postulatio: præsertim cum falsum, & contra veram
rei se habentiam scriptum sit, prædictum Dominum Canoni-
cum Geyer Dominis Capitularibus Postulantibus voto suo ac-
cessisse; ut qui Chorum cum DD. Capitularibus, quos simul
ac indivisim eo ituros supposuerat, bonâ fide ingressus, ac
breviarium in manibus tenens, seorsim à DD. Postulantibus
in altero Chori latere, & ordinario Canonicali stallo suo con-
stitutus, Notario Wasserfall primum, tum & aliis pluribus
expressè contestatus fuit, se per accidens, & nequaquam
animo accedendi ad Postulantes, vel alterutri parti præjudi-
candi eo loci delatum fuisse.

Quod autem majus quoddam pondus pro votis Domi-
norum Postulantium ex eo prætendatur, quia per detenso-
rem prætensæ Postulationis jactantur fuisse & esse vota Se-
niorum & Saniorum, de hoc mihi tanta personarum notitia
non est, ut desuper firmiter quicquam statuere possim, ideo
sufficiat huic asserto reponere, quæ sæpius allegatus perso-
natus Alithophilus in sua decade dubiorum desuper movit,
his formalibus. Video non sine Cachinnis & stomacho mul-
torum, in eadem facti specie jactari de prætensis 13. Postu-
lantibus, quod Seniores ac saniores existant, quasi vero Se-
niores dicendi forent, Illustrissimi DD. Comites de Hohen-
zolleren & duo de Manderscheid, qui omnes tres simul sum-
pti, vix annos unius Reverendissimi & Amplissimi Domini
Antonii Wormbs eligentis attingunt, quamvis etiam unus eo-
rum aliquid suæ ætati adjiceret, neque Illustrissimi DD. Co-
mites de Löwenstein, de Salm, junior de Reckheim pro seni-
bus de pontanis habendi, imo vix ad huc viris annumerandi
sunt.

sunt: Utque de sanioribus nihil invisum aut factens tangatur, quis nescit? tum ex prædictis plerosque, tum Illustrissimum Dominum Comitem de Mefskirchen, Eminentia suæ arcta necessitate jungi, duosque insuper ex DD. postulantibus ad cautelam absolvendos fuisse? Domini Officialis Quentel erga Eminentiam suam partialitas, ut ita minus latine, sed verè tamen loquar, ejusdemque partialitatis causa Lippis atque tonforibus nota est, huncque veluti Gallinam pulus, Dominus Joannes Petrus nepos ex fratre fideliter sequitur. Dominus Mehring Furstenbergicæ domus stipendiarium atque mancipium jam ab antiquo se profitetur.

Et hi sunt Dii tui Israël.

Utque proprio suo gladio juguletur malè Consultus propugnator prætensæ Postulationis, acceptatur pro confessio, quod in assertis suis statuit; *Superiorem*, (qualis hic est Summus Pontifex) *ex lege Justitiæ legali, officio suo connaturali teneri necessitati Ecclesiæ subvenire, & boni communis utilitati consulere* ex quo inexpugnabile refurgat argumentum, quod in præsentis concursu electionis cum Postulatione Sanctissimus non potuerit non præferre Serenissimum Ducem Josephum *Clementem* præ Eminentissimo Domino Cardinale, quoniam præter supra deducta etiam infra annexa motiva Electionem altefati Serenissimi Ducis valde potenter commendantia sat superque edocent, quantum interfit, non solum ipsius Ecclesiæ Metropolitanæ Colonienfis, verum etiam totius Reipublicæ Sac. Romani Imperii, ut hæc sedes vacans suæ Serenitati præ Eminentissimo Domino Cardinale committeretur: Nam præterquam quod sua Eminentia per singularem suam prudentiam regnativam, etiamsi Sapientiam Salomonis adæquaret, intra spacium decem annorum Archidiæcesi obærata vix tantum prodesse valuisset, quantum eidem depauperatæ Ecclesiæ à Serenissimo Electo intra tres vel quatuor annos emolumentis & sublevaminis obtingere potest, & sperandum est, E re in super Sac. Rom. Imperii non erat, suam
Emi.

Eminentiam propter tot tamque graves suspiciones, quas de eadem Sac. Cæsarea Majestas & status Imperii gerunt, ad Collegium Electorale admittere, & eidem arcana statûs committere, adeo, ut casu posito, quoddam per in concessum suæ Eminentia laudata singulatis prudentia Ecclesiæ Coloniensis plus prodesse, quo cunquæ modo potuisset, nihilominus tamen hoc in casu major necessario debebat haberi ratio boni communis imperii, quàm utilitatis privatæ Archiepiscopatus: Considerato, quoddam Ecclesia cum suis appertinentiis solummodo sit pars Reipublicæ, & de territorio universali, sub quo sita est,

Bald. & Castr. in L. si quis. C. de Episc. & Cleric.

Atque hinc ipsa æquitas simul & justitia exigat, ut ejus utilitas tanquam privata, cedat utilitati publicæ, per jura notissima, quæ statuunt, utilitatem publicam præferendam esse privatæ,

Cap. bonæ. 3. extr. de Postul. Præl. L. si quis in gravi. 3. §. utrum. 14. ff. ad S. C. Syllan. L. utilitas. 3. C. de primipilo. L. unic. §. hinc autem C. de Caduc. tollend.

Contra quod nihil relevat, si forte quis dicere vellet, bonum & utilitatem Ecclesiæ Coloniensis non respicere ipsam Ecclesiam solam, sed simul totam ejus provinciam, & hinc in se continere utilitatem publicam; ad hoc enim respondetur, totam illam Archidiæcesim cum omnibus suis terris & provinciis, esse solum unum membrum Romani Imperii, ac itaque ejus utilitatem, respectu boni communis totius imperii, considerari ut privatam, quia ea, quæ communiter omnibus profunt, præponi debent illis, quæ specialiter quibusdam utilia sunt.

Nov. 39. cap. 1. videatur Tabor. in thesaur. locor. commun. lib. 19. cap. 48. axiom. 7.

Et

Et utilitas publica major, præferenda est alii publicæ mi-
nori

*Supra cit. cap. bonæ. 3. extr. de Postulat. Prælat.
l. cætera. 41. §. sed si quis. ibiq; Paul. Castr. ff. de le-
gat. 1. l. actione. 65. §. labeo. 5. ff. pro socio.*

Ea enim, quæ in aliquo utilia dignoscuntur, cedere debent
iis, in quibus major est utilitas.

Zaf. Conf. 1. num. 25. volum. 1.

Unde Summi Principis, id est Romani Imperatoris officio in-
cumbit, ut non unius membri emolumentum plus, quàm
totius corporis salutem promoveat, siquidem secundum Ci-
ceronem.

Lib. 1. de Offic. capit. 25.

Rectori Reipublicæ duo singulari curâ & studio observanda
sunt præcepta; primum ut utilitatem suorum subditorum
sic sibi commendatam habeat, ut, quæcunque agit, ad eam
referat, suorumque priorum commodorum oblivisca-
tur: alterum verò, ut totum Corpus Reipublicæ curet, ne,
dum partem aliquam tuetur, reliquas deferat.

Imo ipsi quoque status imperii, tanquam membra unius
corporis, tenentur potius in bonum commune consulere,
quàm in propriam cujusque utilitatem, nam nisi propriis
commodis neglectis communibus curandis invigilent, nihil
aliud quàm jaçturam totius corporis & communis boni sequi
omnium temporum historiæ testantur, imprimis vero Gra-
tianus.

*in Bello Cyprico lib. 4. pag. 406. & seq. & lib. 15.
pag. 469. ac. 481. & seq.*

prudenter annotavit. ut inde in electione Archiepiscopi Co-
loniænsis, respectu connexæ dignitatis Electoralis non im-
merito major debeat haberi ratio commilitantis interesse
Romani Imperii, quàm ipsius Archidiaçeseos.

His itaque stantibus, mirantur non pauci Prudentes vi-
ri,

ri, quod sua Eminentia nihilominus tam audacter possessionem in Pallatio & Residentia Electorali Bonnæ apprehenderit, & universæ, ac in potissimis absolutæ administrationi tam in temporalibus quam Spiritualibus Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis se ingesserit; Verum totum negotium non fundamentis Canonicis solidatur, sed corruptis ejus generis technis, quæ Pseudo Politicis rationes status appellantur, palliatur. Nam quamvis mendacium Juris Consultis eorumque legibus ex osum est,

Card. Tuschus, lit. M. concl. 188. nu. 1.

atque in odium mendacii à legibus generalibus earumque privilegiis receditur.

Cap. 16. causa. 25. qu. 2. cap. 15. in fin. & cap. 20. extr. de rescript.

Affectio tamen hæc ratione humanum judicium solet pervertere, ut Politici quidam censeant in privatis rebus deceptiones esse prohibitæ, quas tamen in causis publicis permitti volunt; dicunt enim Politicum in oratione sua plus dignitatis quam fidei, semper complimenta, si non sint cordimenta, debere adhibere, ut hoc modo defectum cordis lingua suâ eloquentiâ suppleat, per rationem; quia multa ex causa fiunt, quæ fieri regulariter prohibentur, siue multa fiunt causativè, quæ directo non conceduntur.

Card. Tusch. lit. C. conclus. 161. per tot.

Dum autem regulam generalem, (*dolus malus ab omni negotio humano longè absit*) in suis negociis perversis fundamento civili limitare contendunt, se neque in Philosophia, neque in jurisprudentia versatos esse contendunt, cujus ratio est, quia Philosophus dicit; qui benè distinguit, benè docet; Juris Consultus verò: multa quidem regulariter prohibita ex causa permittuntur, interea tamen causam aliquam, ut aliquid extraordinarii operetur, justam esse oportet: Sed hæc regulâ procul positâ, sic dicta ars simulandi quosdam Pseudo-Politicos eò rapit, ut totum in illis hominem astutiis, fraudi-

bus & dolis occupatum videamus, unde fit, ut penes aliquos nihil plane ingenuitatis, veracitatis aut sinceritatis reperire sit.

Et licet hæc inmixtura mendaciorum servile vitium sit, ac teste Mamertino

de Juliano ingrat. actione. cap. 26.

Tanto indignius Principe, quanto major is est servo, nihilominus tamen multi etiam excelsi ingenii viri adeo hæc peste infecti reperiuntur, ut existiment, nullum magni momenti negotium sine vi vel fraude geri posse: Tiberius Principum astutissimus, imperium Romanum manibus pedibusque ambiverat; ab ejus tamen aviditate se plane alienum esse verbis contestabatur: Unde illud subdole à se rejecit: rei, si vero retinuit. Verbis ementitis negavit, se habere aut velle imperium; in effectu demonstravit, se non contentum auctoritate ab antecessoribus acceptâ majorem quæsisse & invenisse: Cum enim Patres simularent se non advertere & intelligere occultum Tiberii desiderium imperandi, eundemque vehementer ut imperium susciperet, rogarent, magis rogari ille voluit, & respondit: ad totum regnum se esse insufficientem, partem tamen non velle recusare, si certa aliqua ipsi committeretur, speravitque futurum, ut rursus patres responderent, Regnum duorum impatiens esse: Sed Asinius Gallus, ad simulationem Tiberii non reflectens, interrogavit, quam Regni partem Tiberius sibi committi peteret? quam quæstionem Tiberius (qui non putabat intentionem suam Patribus perspectam esse) ægerrimè tulit. Ridicula fane sunt & lepida in hanc rem verba Taciti

Annal. lib. 1. cap. 11. num. 6.

in hunc modum scribentis. *At Patres, quibus unus metus, si intelligere viderentur, in questus, lacrymas, vota effundi: ad Deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere &c.*

Mitio rem hac in re, ac facilius flexibilem se perhibuit Eminen-

nen-

mentissimus Dominus Cardinalis de Fürstenberg, ut qui secundum didicita instrumenti Notarialis infra sub Num. 1. annexi, pro Consensu de se factæ Postulationi præstando, requisitus, (*risum teneatis amici*) ad desuper deliberandum quidem è domo Capitulari ad locum scrutinii secessit, & iterum reversus, longâ serie (*prout verba formalia dicti instrumenti cantant*) exposuit, quam difficile ac grave sibi esset, munus id Archiepiscopale suscipere &c. non tamen Dominos Capitulares adeo, sicut Tiberius Patres Senatûs Romani precibus fatigavit; sed, quemadmodum hic Tiberius postremo imperium, quod tanto ardore concupiverat, cum simulato fastidio suscepit, adeo ut dictus Tacitus

Annal. lib. 1. cap. 13. num. 1.

post longe lateque enarratam ejus renitentiam scribat: *Fessum autem Tiberium clamore omnium & postulatione singulorum stexisse paulatim, non ut fateretur, suscipi à se imperium, sed ut negare & rogari desineret.* Sic quoque Eminentissimus Dominus Cardinalis de Fürstenberg anhelæ suæ aviditati intransgressibile Decretum Divinum prætexit, asserendo, quod postulationem de se factam non respuere velit, cum Deo, Sanctæque Sedi Apostolicæ ita placeret: quasi verò Deus Omnipotens manifestis Columbæ radiis beneplacitum suum in personam ejusdem prodigosè testatus esset.

At regeres fortè: nec hoc non ambitionem quandam sapere, quod Serenissimus Dux Josephus Clemens &c. de Archidiacesi sæpe factæ Ecclesiæ Metropolitanae Coloniensis tam sollicitè contendat: sed facilis est responsio; longè inter se differre, cupiditatem alieni: & conservationem, manutationem ac defensionem proprii juris, jam legitime quæsitæ: ut enim secundum prudens judicium Porphyry

allegati à Grotio de I. B. & P. in prolegom. fol. 4. num. 8. in addit. ad verb. quo pertinent.

Justitia ipsa in eo sita est, ut absteatur alienis & non nocetur non nocentibus: sic e contra defensio & manutentio juris alicui semel legitimè quæsiti, fundamentum & principium supm ex jure naturali trahit.

L. 4. L. 45. ff. ad Leg. Aquil. L. 1. §. cum arietes, 11. ff. si quadrupes pauper. L. 1. §. 27. ff. de vi arm.

Hinc, licet in Eminentissimo Domino Cardinale de Fürstenberg vituperandum, quòd ex solo eminendi appetitu imperium alteri quæsitum tam illegitimis attentatis præripere conetur, proculcatis omnibus juribus statuentibus, alienorum concupiscentiam damnandam esse

L. si contingerit. 4. C. fin. Reg. L. ult. C. de Locat.

In Serenissimo tamen Duce Josepho Clemente minimè reprobandum, sed potius laude dignum est, quòd Imperium per Electionem Canonicam sibi delatum tueatur, & libidini Usurpatoris illegitimi non exponi patiatur, quoniam Causinus

de Regno Dei Dissert. 43.

Expresse statuit, quòd nullus Princeps salvis conscientiae legibus & propitiato Numine tam Sacram hæreditatem alteri diripiendam exponere debeat, quæ ipsi gubernanda commissa est: & si facit, cæli jura resolvat, nec quæ terræ sunt custodiat. Ad imperium enim quæri, meritorium est privilegium: quærere vero ambitionis est argumentum & semen odiorum: quia nemo bonus amat subesse tali, quem eminendi dehonestat affectus, inquit Faberius

in Alphab. Moral. Polit. sub. verb. ambitio. axiom. 30.

Unde etiam dici solet, quòd imperare non mereatur, qui ad solium currit.

apud eundem in dict. tract. sub. verb. imperium. axiom. 20.

Ad

Ad velandum autem quodammodo illegitima & violenta attentata, quibus Eminentissimus Dominus Cardinalis omnem Archiepiscopalem auctoritatem & potestatem in Ecclesia Metropolitana Coloniensi, nihil attentâ ad S. Sedem Apostolicam factâ provocatione, cum non exiguo vilipendio superioritatis Pontificiæ sibi viâ facti arripuit, asserit quidem prætenfæ Postulationis propugnator, quod benefatus Eminentissimus Dominus Cardinalis, ad contemnendum suum profundissimum erga S. Sedem Apostolicam respectum, hæcenus administrationi sese ingerere noluerit, sed eandem, salvo tamen jure suo, Illustrissimo Capitulo relinquere voluerit, ut omnis contra Postulationem cavillandi materia præscinderetur, & Sanctissimo peculiari suæ Eminentiae devotio luculentius perspecta redderetur.

Verum quam acri bello facta verbis repugnent, res ipsa loquitur & demonstrat, dum (ut ex protestatione sub Num. 3. annexa latius apparet) Eminentissimus Dominus Cardinalis Consiliarios tam aulicos, quam Camerales, aliosque Ministros Civitatum, fortalitorum & oppidorum Gubernatores ac officiales militum Archidiæcesis Coloniensis (non obstante, quod coram Deputatis Capituli dudum & statim post mortem piæ defuncti Serenissimi Archiepiscopi Capitulo juraverint) recentissimè novum fidelitatis juramentum sibi præstare fecerit, & quidem hisce formalibus: quod neminem pro Archiepiscopo & Electore Coloniensi agnoscere debeant, quam illum, qui per majora vota Capituli pro tali reputaretur: Eos verò, qui novum hujusmodi juramentum ejurare recusaverunt, officiis suis, in quibus antecederent per Capitulum Metropolitanum confirmati erant, privaverit: Pallatium insuper & sedem Archiepiscopalem Bonnæ occupaverit, & in ipsis Conclavibus Electoralibus, instar Electoris, habitationem sumpserit, circa regimen & administrationem absque præ-

prævia consultatione & communicatione cum Capitulo
 aliàs fieri consueta & debita, omnia direxerit, cum Archi-
 diaëcesis Residente Ratisbonæ solus corresponderit, nullam
 ejus correspondentiæ communicationem Capitulo fecerit,
 & in litteris sibi titulum Electoralem dari permiserit, ac
 alia multo plura de sua unius sententia pro libitu egerit;
 quæ attentata omnia & singula Constitutionibus Canonici-
 gravissimè repugnant, & non modicum contemptum S.
 Sedis Apostolicæ præ se ferunt;
 Nam decretalis

in cap. Qualiter. 17. extr. de Elect.

in terminis terminantibus decantat, electionem ejus, qui
 ante obtentam confirmationem se administrationi inge-
 rit, cassandam esse, dum verba ejus hoc tono clangant;
*Verum quoniam electus à vobis, ante confirmationem admini-
 strationi Episcopatus se irreverenter immiscuit, recipiendo tam
 à Clericis, quàm Laicis juramenta, non attendens, quod secun-
 dum Apostolum, nemo debet sibi honorem assumere; sed qui vo-
 catur à Deo, tanquam Aaron: præcipue quia nec donum scientiæ
 Pontifici conveniens fuerat assecutus. Postquam nobis præsen-
 tatis eundem, sufficienti examinatione præmissâ electionem de
 ipso factam duximus irritandam; quicquid ex ea, aut ob eam fa-
 ctum est, denunciante penitus non tenere.* Unde communis
 Canonistarum Schola tenet, quod si Episcopus noviter e-
 lectus ante confirmationem adeptam sub quovis exquisito
 colore vel prætextu, puta vel titulo Electionis, vel procu-
 ratoris, aut Oeconomi rerum Ecclesiæ administrationi se
 ingereret, recipiendo à Clericis vel Laicis juramenta vel
 alia quæquæ gerendo, ejus electio in pœnam cassari de-
 beat, priveturque ipse omni jure ex tali electione acquisito,
 per textum expressum

in cap. avaritiæ. 5. de Elect. in 6.

hoc modo cantantem: *Avaritiæ cæcitas, & damnanda am-
 bitionis improbitas aliquorum animos occupantes, eos in illam
 teme-*

temeritatem impellunt, ut quæ sibi à jure interdicto non verint, exquisitis fraudibus usurpare conentur. Nonnulli siquidem ad regimen Ecclesiarum electi, quia eis jure prohibente non licet, se ante confirmationem electionis celebratæ de ipsis, administrationi Ecclesiarum (ad quas vocantur) ingerere: ipsam sibi tanquam procuratoribus, seu œconomis committi procurant, cum itaq, non sit malitiis hominum indulgendum, nos latius providere volentes, hac generali constitutione sancimus, ut nullus de cæterò administrationem dignitatis (ad quam electus est) priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, sub œconomatus vel procurationis nomine, aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus vel temporalibus, per se vel per alium, pro parte vel in totum gerere vel recipere, aut illis se immiscere præsumat. Omnes illos, qui secus fecerint, jure (si quod eis per electionem quæsitum fuerit) decernentes eo ipso privatos.

Imo statuunt Canonistæ, quòd Electus taliter se immiscens efficiatur inhabilis ad eandem vel aliam Ecclesiam,

arg. cap. super eo. 12. de Elect.

nisi consuetudo immemorabilis aliud permittat.

At ridebit fortè adversarius, replicando constitutiones has limitatas esse per dispositionem Conciliarem Generalis Concilii Lateranensis, relataam

in cap. Nihil. 44. de Election.

in qua habetur, quòd circa hoc punctum administrationis cum illis, qui à sede Romana valdè remoti, videlicet, ultra fines Italiae constituti sunt, dispensatum sit, ita ut propter necessitates & utilitates Ecclesiarum administrare possint in spiritualibus & temporalibus:

Verum ad hoc respondetur, hanc ipsam dispositionem Conciliarem continere dispensationem conditionatam, dū dicit, electum adeo remotum tum demum ante confirmationem administrare valide posse ex dispensatione hac legali, *Si electus fuerit in concordia*, prout hoc verba textus expressa & clara sat perspicuè docent, adeo, ut dispensationis

P

tionis

tionis hujus beneficio gaudere non potest, qui non in concordia electus est, per rationem, quia conditio formam non levem inducit, quâ omisâ dispositio non sortitur effectum.

L. qui heredi. 44. L. Mevius. 55. ff. de condit. & demonstr. Tiraq. de retractu. tit. 2. §. 2. gloss. 1. num. 3. & 4. Card. Tusch. practic. concl. tom. 2. lit. C. concl. 483. num. 8.

quod in hac conditione, sub qua dicta dispensatio Conciliaris data est, tanto minus in dubium revocari potest, quia Nicolaus Abbas

ad citat. cap. Nihil. 44. de Election. num. 4.

expressè affirmat, Notandum & menti tenendum esse, quòd electi immediatè in spiritualibus & temporalibus ante confirmationem habitam administrare possint, *duobus concurrentibus*, & quidem *Primò*, quòd electio eorum sit celebrata in concordia, scilicet nemine discrepante, *Secundò*, quòd sint valde remoti: veluti ultra Italiam constituti: ex quo in consequenti infallibile est, quòd in casu nostro electionis Coloniensis, in quo Eminentissimus Dominus Cardinalis non in concordia, sed vel in maxima discrepantia, & instantissima contradictione Dominorum Capitularium, qui vota sua in electionem Serenissimi Ducis *Josephi Clementis* direxerunt, & insuper non à requisitis duabus Tertiis Capituli, ac itaque minus Canonicè postulatus est, idem Eminentissimus Dominus ob defectum conditionis de jure pro forma requisitæ, dispensatione gaudere non potuerit, sed per interdictam de jure usurpationem administrationis non modo Postulationem, si quæ pro ipso extitisset, irritam recididerit, omneque jus aut spem juris, si qualiscunque illi quæsitæ fuisset, amiserit, ac insuper se tam ad hanc, quàm aliam Ecclesiam inhabilem constituerit:

Quod

Quod cum in electo certius sit, quàm ut negari queat, in postulato tanto minus dubitandum est, sed eo potentius operari debet, quo inferior est Electo, siquidem notum est, quod Episcopus alterius Ecclesiæ, tanquam eidem matrimonio spirituali alligatus non potest consentire in susceptionem novæ Ecclesiæ, sine adulterii labe, priusquam à primo vinculo absolutus sit. Cum enim secundum decretalem Innocentii Tertii

in cap. inter corporalia. 2. de Translat. Episcop.

femel in Episcopum unius Ecclesiæ electum & confirmatum nemo transferre possit quam Summus Pontifex, siquidem textus in dicta decretali inter alia etiam hæc verba habeat: *Cum ergo fortius sit Spirituale Vinculum, quàm carnale, dubitari non debet, quin Omnipotens DEUS, Spirituale Conjugium, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, suo tantum iudicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem etiam Carnalis conjugii, quod est inter Virum & Fœminam, suo tantum iudicio reservavit; Præcipiens, ut, quos DEUS conjunxit, homo non separet. Non enim humanâ sed potius Divinâ potestate conjugium Spirituale dissolvitur, cum per translationem dispositionem aut cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Jesu Christi, Episcopus ab Ecclesia remouetur: & ideo tria hæc, quæ præmissimus, non tam constitutione Canonica, quàm institutione Divinâ soli sunt Romano Pontifici reservata. Sicut autem Episcopus Consecratus sine licentia Romani Pontificis suam non debet Ecclesiam derelinquere, sic & electus confirmatus, cum non debeat in dubium revocari, quin post electionem & confirmationem Canonicam, inter personas eligentium & electi conjugium sit Spirituale contractum, cui profecto Episcopalis Dignitas nihil addit: Cum quis Episcopali præditus dignitate, nullius tamen Ecclesiæ possit esse Episcopus &c.* Sententia certè firmior persistit, quam ut infringi possit, Episcopum uni Ecclesiæ jam jam matrimonio Spiritualis junctum, propriâ suâ auctoritate, & absque prævia Summi Pontificis absolute à vinculo priori non posse ali-

am Ecclesiam in Sponsam suscipere, qua propter etiam Nicolaus Abbas

ad cap. Etsi unanimiter. 6. extr. de Postulat. Prælat.

expressè statuit, quòd Episcopus unì Ecclesiæ alligatus ideo, quia jam habet conjugem, non possit consentire in aliam conjugem, quia committeret adulterium, Opus ergo est, ut prius absolvatur àb illo vinculo matrimoniali, antequam aliud matrimonium initiatum cum alia Ecclesia, & ideo debet postulari: quia postulantes non consentiunt in postulatam ut in Sponsam, sed solum petunt gratiosè ut tollatur vinculum & defectus: quemadmodum habens uxorem carnalem non potest consentire in secundam, sed opus habet, ut prius absolvatur àb illa, aliàs committeret adulterium: Ita dicendum est in conjugio Spirituali, ista enim conjugia Spirituاليا & carnalia judicantur ad paria. *Hæc Abbas.*

Quod ipsum quoque firmatum habetur in ipsis constitutionibus Canonicis, quarum textus.

in C. Sicut. II. caus. 7. quest. 1.

Perhibet, quòd sicut Vir non debeat adulterare uxorem suam, ita nec Episcopus Ecclesiam suam, id est ut illam dimittat ad quam SacratuS est, absque inevitabili necessitate, aut Apostolica vel regulari mutatione: imo, quia in Constitutionibus Canonicis, & specialiter in decretali Innocentii Tertii.

in cap. Quanto 3. extr. de Translat. Episcop.

ulterius cautum habetur, quòd Episcopus propriâ auctoritate instituens sui translationem ad aliam Ecclesiam, nec in prima nec in secunda manere permittendus sit: ideo quilibet prudens haud difficulter judicare poterit; quid de usurpatione in Archidiacesi Coloniensi per Eminentissimum Dominum Cardinalem de Furstenberg juxta relata Protestationis infra sub Num. 3. annexæ, propriâ auctoritate, & prætextu ex prætensa prorsus invalida & minus Canonica postulationis conquisito, attentata, statuendum sit? cum necessitas

Con-

Conservandæ Summæ Authoritatis Pontificiæ ipsamet exigat, ut tam immoderata, in maximum & quidem scandalosum vilipendium S. sedis Apostolicæ vergens licentia correctione condigna ad cancellos debitæ modestiæ & reverentiæ reducat: & quemadmodum præter hæcenus deducta tam copiosa & solida fundamenta, id ipsum, quod Sanctissimus Noster post præmissum examen & cognitionem causæ super processu tam Postulationis quàm Electionis, in sacra Congregatione rebus Consistorialibus præposita factam, secundum unanimum Patrum sententiam non solum repulsâ Postulatione de Eminentissimo Domino Cardinale de Furstenberg factâ, Electionem de persona Serenissimi Ducis *Josephi Clementis &c.* (Prout infra sub *Num. 6.* adjuncta breviter Electionis & Administrationis in suo syllabo perhibent) pro Canonica approbaverit & confirmaverit, verum etiam alto facto Serenissimo Electo, temporalium administrationem liberè dederit, in Spiritualibus autem eidem Reverendissimum Dominum Episcopum Hierapolitanum, Ecclesiæ Metropolitanæ Colonienfis Suffraganeum & Canonicum in Coadministratorem, ad altissime fatæ Sanctitatis suæ & S. sedis Apostolicæ beneplacitum adjunxerit; luculentissimè testatur, quam improbâ infirmitate & manifesta calumniâ præsumpta Electionis de Serenissimo Duce *Josepho Clemente* Canonice celebratæ impugnatione laboraverit: Sic econtra, secundum vulgare illud Philosophorum, *quod contraria juxta se posita, eo magis elucescant*, Veritas & Justitia Electionis adeo improbè agitata tanto clarioribus radiis splendet, eam nimirum à D. D. Eligentibus esse celebratam secundum leges Conscientiæ, ex sana ratione, sincero amore in patriam & Justitiâ Canonica ad Dei Ter. Opt. Max. honorem & Gloriam, Ecclesiæ Metropolitanæ Colonienfis ædificationem & emolumentum, ac salutem & bonum commune totius Imperii

Romano Germanicæ

P 3

Ad

Adjunctum Num. 1.

Instrumentum Notariale Postulationis.

IN nomine Sanctissimæ & individuæ Trinitatis. Patris & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Universis & singulis præsens documentum visuris, lecturis, seu legi audituris pateat evidenter, & sit notum, quod, postquam piissimæ memoriæ quondam Serenissimus & Reverendissimus Princeps ac Dominus, Dominus Maximilianus Henricus Dei gratiâ Archiepiscopus Coloniensis, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarius & Princeps Elector, Sanctæque sedis Apostolicæ Legatus natus, Episcopus Hildesienfis & Leodiensis, Administrator Bergiesgadensis, Superioris & inferioris Bavariæ, itemque Superioris Palatinatus, Westphaliæ, Angariæ & Bullionis Dux, Comes Palatinus Rheni, Landgravius in Leuchtenberg, Burggravius in Stromberg, Marchio Franchimontensis, Comes Lossensis & Hornensis, ac Dominus in Borckloe &c. Die 3. Junii currentis anni, vitam suam mortalem cum cœlesti permutavit; interim verò postulatio Reverendissimi & Eminentissimi Domini Domini Guillelmi Egonis ex Landgraviis de Furstenberg, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Episcopi Argentinensis &c. sub beneplacito Sanctissimi altè memorato Domino Maximiliano Henrico &c. In Coadjutorem Archiepiscopatus Coloniensis, alias facta in quantum eo usque sciebatur, non erat fortita effectum, idcirco ad occurrendum periculis, quæ viduatis Ecclesijs ex diuturnâ illarum vacaturâ plerumque accidere solent, Capitulum Metropolitanum Coloniense tali dignissimo ac Laudatissimo Archi Præsule Orbatum die 11. ejusdem Mensis ad id specialiter Congregatum, pro Neo Archi Episcopo Electore in ejus Locum eligendo, sive postulando, Constituerit decimam nonam proximè subsequentis Mensis Julii, atque ad Electionem sive postulationem hujusmodi celebrandam mandavit citari omnes & singulos ad id communi.

muniter vel divisim interesse habere putantes. Die itaque statuto adveniente, post missam de Spiritu Sancto &c. in æde Metropolitanâ solemniter decantatam, circa horam decimam matutinam in domo Capitulari ejusdem Ecclesiæ personaliter comparuerint, Reverendissimi & Eminentissimus itemque Serenissimi, & Celsissimi, ac Illustrissimi, nec non Perillustres, Prænobiles, Eximius, Consultissimi & Amplissimi respectivè Domini. 1. Dominus Guilielmus Egon Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & pro tempore Decanus. 2. D. Philippus Everhardus Princeps Sub-Decanus &c. 3. D. Franciscus Gobertus Comes de Aspèrmon & Reckum Chori Episcopus. 4. D. Franciscus Adolphus Wilhelmus Comes in Ost-Friesland & Rittberg &c. Scholasticus. 5. D. Ferdinandus Rudolphus Comes de Fürstenberg &c. Senior Diaconus. 6. D. Alexander Comes de Salm & Reifferscheid Junior Diaconus. 7. D. Franciscus Bernardus Princeps de Nassovia, Præpositus quâ Thesaurarius. 8. D. Antonius Ludovicus Princeps Neoburgicus, Ordinis Teutonicæ Magni Magister. 9. D. Carolus Gobertus Comes de Aspèrmon & Reckum. 10. D. Ernestus Dominicus Comes de Manderscheid Falckenstein. 11. D. Hugo Franciscus Comes de Königseck. 12. D. Germanicus Fridericus Comes ab Hohenzöllern. 13. D. Maximilianus Philippus Comes de Manderscheid. 14. D. Franciscus Ludovicus è Ducibus Neoburgicis, Episcopus Uratislaviensis. 15. D. Philippus Henricus Princeps de Groye. 16. D. Henricus Mehring Senior Præbyter. 17. D. Thomas Quentel, Curia Archi Episcopalis Coloniensis pro tempore Officialis. 18. D. Christophorus Fridericus Geyer. 19. D. Joannes Petrus de Quentel. 20. D. Joannes Friedericus Anethan Episcopus Hierapolitanus. 21. D. Antonius Wormbs. 22. D. Joannes Godefridus Recquerer. 23. D. Adamus Dahmen, Omnes & Singuli Canonici Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis pro tempore repræsentantes. Et postquam Eminentissimus D. Decanus ut Præses hujus

hujus Capituli, in præsentia Prænobilis & Consultissimi D. Gerhardi Rensing, J. U. Doctoris D. Secretarii pro tempore Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis, nec non mei Godscaldi Wasserfall & mei Bernardi Voss. Notariorum, itemq; venerabilium Matthiæ Bullingen & Adami Willick vicariorum dictæ Ecclesiæ, uti Testium ad infra scripta omnia & singula diligenter ac sedulò observanda, specialiter vocatorum, proposuisset. Illis luculenter constare hodiernam diem in negotio præmentionatæ Electionis seu Postulationis novi Archiepiscopi determinatam & præfixam esse, atque ad eum finem necessarias citationes tam in valvis supra tactæ Ecclesiæ, quam in Personas Dominorum Capitularium, circa idem tempus hic Coloniæ præsentium & ad postam Cæsaream respectivè intimatas, ideoque nunc tractandum fore, qualiter in præsentia Electione sive postulatione, juxta jura Canonica veniat procedendum, Capituli Syndicum Interim monendo, ut de præactæ Citationis intimatione debitam fidem faceret. Ex tunc Magister Andreas Wasserfall in qualitate Procuratoris reproduxit eandem citationem, juxta adscriptam relationem adstantis Notarii Voss, tam in valvis majoris Ecclesiæ Coloniensis, quam etiam in Personas & ad ædes inibi nominatorum Dominorum Capitularium hic Coloniæ tunc præsentium intimatum: Et quia ante Nominatus Dominus Rensing similiter retulit, quòd ipse in qualitate Secretarii hujus Ecclesiæ præactæ Citationis Copias immediatè sequenti occasione ad Serenissimum & Reverendissimum Dominum Hermannum Marchionem Badensem aliosque in Instrumento relationis memorati Notarii Voss, ulterius nominatos, cum convenientibus litteris & inscriptione mediante Cæsareorum Veredariorum Magistro hic Coloniæ tradi fecerit, ante nominatus Syndicus petiit absentes pro contumacibus, præsentibus pro obedientibus haberi, atq; juxta effectum supra tactæ Citationis latius procedi.

ceditur. Postquam igitur omnes & singuli præsentis Ca-
pitulares mediante organo Eminentissimi Domini Præsidis
fuerant interrogati, an aliquis illorum haberet mandatum?
Illustrissimus Dominus Hugo Franciscus Comes de Königs-
eck produxit quandam & complicatam & consignatam
papyri schedulam, in qua dicebat contineri specialem con-
stitutionem Serenissimi & Reverendissimi Domini Hermani
Marchionis Badensis in se exhibentem directum, una cum
insertione certæ Personæ in vim ejusdem in futurum Ar-
chiepiscopum & Electorem Coloniensem eligendæ, contra
quod mandatum licet primo fuerit obmotum, quòd illud
esset contra stylum & observantium huc usque in Electioni-
bus apud Ecclesiam Metropolitanam Coloniensem com-
muniter servari solitam, ex quo illud esset clausum, & pro-
inde non sciretur an in illo contineretur clausula, quòd con-
stitutus in constituentis animam, quo ad Eligendum posset
seu deberet jurare: Secundo D. Constituens esset extra
Provinciam, & proinde ad hunc Electionis sive postulationis
actum, ipsum non fuisse opus citare. Tertio notorium
existeret, quòd Dominus Constituens medio tempore, quo
fuit Canonicus Ecclesiæ Metropolitanæ Colonienfis aliquã-
diu bellum & castra secutus, ac proinde censeretur irregu-
laris. Attamen factâ relatione, quod dictus Marchio ad
hunc actum juxta præinsertam relationem Secretarii spe-
cialiter fuerit citatus, item quod benefati D. Marchionis
procura in aliquibus antecedentibus Electionibus de facto
sit admissa, ac prædicto mandato aperto inter alia in eo fuit
reperta hæc clausula: Et generaliter omnia & singula fa-
ciendi, gerendi & exercendi, quæ ipse constituens præ-
sens quomodolibet facere posset seu deberet &c. Sic illi
seu illis quibus id ipsum videbitur, quævis competentes
exceptiones tam contra formam dicti mandati, quàm etiã
Domini Constituentis Personam sunt reservatæ. Ipsum ve-
rò in iisdem litteris expressum votum sub priori protesta-

Q

tione

tionē & reservationē ad scrutinium fuit remissum : His
 factis Eminentissimus D. Decanus reperto omnes reliquos
 Dominos Capitulares esse præsentes, adeoque nullā de-
 claratione Contumaciæ quoad absentes fore opus, sic
 in qualitate Decani ac præsidis Capituli omnes ac singulos
 excommunicatos, suspensos, interdictos, irregulares, aut
 alio quovis modo inhabiles, si qui adessent publicè jus-
 sisse exire Capitulo, protestans quòd eorum vota nulli deberent
 præstare suffragium, aut adferre nocumentū, quodq; pro
 non receptis & non datis haberi debeant. Super quo ad-
 modum Reverendus & Amplissimus D. Joannes Godefridus
 Becquerer Presbyter Canonicus tradidit Capituli Secreta-
 rio certam quandam protestationem per Serenissimum
 Ducem Franciscum Ludovicum Comitem Palatinum &c.
 Hugonem Franciscum Comitem de Königseck, & Philip-
 pum Henricum Ducem de Croye, ac manu suā propria
 subscriptam, volens eandem publicè prælegi, & simul eidē
 juxta latiùs contenta, suo & suorum Dominorum subscri-
 bentium nomine per omnia inhærens.

Quæ protestatio tamen etiam per Dominum Secreta-
 rium Capituli prælecta fuit, & quia in ejusmodi protesta-
 tione præter alia quædam excommunicatione quorundam
 Dominorum Capitularium præsentium ac de modo proced-
 endi ad scrutinium secretum per schedulas contineban-
 tur, sic protestatione hujusmodi prælectâ, Eminentissi-
 mus Dominus Cardinalis protestatus fuit de hujusmodi
 inusitatâ, informi & nimis præproperè injecta protesta-
 tione, utpotè quod eadem nihil aliud saperet, quam quod
 præsens Electionis seu postulationis negotium vellet inter-
 rumpi, Capitulum turbari, & ipsi Domino Præsidi in suo
 officio præjudicari, sustinens talia molientes se ad votan-
 dum reddere incapaces, nam quoad primum punctum
 dicebat sibi in specie de nullo excommunicato seu decla-
 rato constare, si Dominus Canonicus Becquerer eundem
 sciret,

sciret, posset apertè nominare, aliàs ipse Dominus Præs-
 ses testante toto Capitulo omnes excommunicatos, suspen-
 sos, irregulares & similes jusisset Sanctum exire, decla-
 rando quòd eorum vota nulli debeant præstare suffragium
 vel adferre nocumentum. Quoad secundum Punctum di-
 cebat Eminentissimus Dominus Præsces, se eundem remitte-
 re ad decisionem majoris Partis Capituli, cum desuper
 ad votandum Capitularium pervenisset, decisum est per
 majora, primò ejusmodi protestationem quidem apud
 Prothocollum permanere posse, quia verò pro nunc de
 nullo declarato vel realiter excommunicato Capitulari hic
 præfenti constaret, ejusmodi protestationem eatenus non
 esse attendendam, secundò cum novissimè in Electione seu
 postulatione novi Coadjutoris pie defuncti Archiepiscopi
 Electoris Colonienfis juxta textum C. Quia propter &c. per
 secretum scrutinium vocale processum fuerit, quòd nunc
 iterum taliter procedendum sit, circa quam Electionem
 seu postulationem instituendam Dominus Christophorus
 Fridericus Geyer existens in ordine sui voti proposuit, quòd
 ipse aliique Canonici Præsbyterales Metropolitanæ Colo-
 nienfis, ante hac senserint, & adhuc sentiant, quòd ipsi æq;
 ac Domini Illustres in omnibus Electionibus seu postulationi-
 bus Metropolitanæ Ecclesiæ Colonienfis voto activo &
 passivo gaudere possint, adedque ipsis etiam per hunc Ele-
 ctionis seu postulationis actum Jus suum præservari velint,
 ad quòd Eminentissimus Dominus Decanus quà Præsces Ca-
 pituli respondit, se desuper quid juris prætere velint
 hoc ipsis ab antiquo Competere debere, & non per novis-
 simos actus, & idcirco, si iidem hoc jus ab antiquo probare
 possint, quòd sua Eminentia etiam quà Capituli Præsces, hoc
 illis per hanc Electionem sive postulationem non intendat
 auferre, minùs in ullo præjudicare. Subsequenter invo-
 catâ de novo Spiritus Sancti gratiâ per submissam recita-
 tionem hymni veni Sancte Spiritus &c. Cum versiculo &

Collecta, de gremio Capitulari in scrutatores presentis Electionis sive Postulationis deputati fuerunt Reverendissimus & Illustrissimus Dominus Franciscus Wilhelmus Adolphus Comes in Oistriesland & Rittberg &c. Ecclesiae Metropolitanae Coloniensis pro tempore Scholasticus, una cum Serenissimo Domino Philippo Henrico Principe de Croy &c. & Adm. Reverendo Domino Henrico Mehring &c. iisque per saepe fatum Dominum Praesidem data est potestas sigillatim & in secreto primo sua & postmodum Cunctorum Dominorum Capitularium vota diligenter exquirendi, exquisita in scriptis redigendi, taliterque in scriptis redacta conferendi, & collata publicandi, caeteraque omnia & singula faciendi, quae presentis Electionis sive Postulationis qualitas quomodolibet exigeret aut requireret, quo praevio, sicut praefertur Electi Domini Scrutatores ad manus ante nominati Domini Praesidis Jurarunt, quod omnia & singula praemissa sine dolo & fraude velint facere. hocque juramento praestito iidem qui supra Domini Scrutatores associatis sibi ante nominatis, Secretario, Notariis & testibus processerunt ad conclave inter initio mentionatam domum Capitularem, ac Sacristiam Ecclesiae Metropolitanae Coloniensis mediam, Caeteris Dominis in loco Capitulari manentibus, ibidemque in praesentia eorundem Secretarii, Notariorum, & testium Dominus Philippus Henricus Princeps de Croye & Dominus Henricus Mehring &c. saepius memoratum Dominum Franciscum Adolphum Wilhelmum Comitem de Rittberg, & subsequenter eadem Illustrissima sua Gratia cum fato Domino Mehring ante nominatum Principem de Croye, atque ex post modo dicti Domini Comes & Princeps eundem Dominum Mehring, in virtute sive obedientia, & sub animae cujusque periculo admonuerunt, & adjurarunt, ut secundum Deum & suam conscientiam in praesenti negotio illum in S. Ecclesiae Coloniensis Archiepiscopum, & S. Romani Imperii Electorem velit eligere

gere seu postulare, quem quilibet ipsorum dictæ Ecclesiæ magis utilem, ac idoneum reputaverit, hâc adjuratione factâ, secundus & tertius ante nominatorum *Dominorum* Scrutatorum, in simili norma Scrutati sunt primum, & deinde primus & tertius secundum, ac demum primus & secundus, tertium, quorum votis successivè per sapius mentionatos Secretarium & Notarios fideliter annotatis subsequenter *Dominus Decanus*, sub *Decanus*, *Chori Episcopus*, *Senior & Junior Diaconi*, *Thesaurarius* ac *Cæteri Capitulares*, juxta ordinem suarum dignitatum & respectivè suæ primordialis possessionis, in quo possessionem suarum præbendarum ab initio acceperunt, è domo Capitulari fuerunt vocati, atque illi omnes & singuli etiam sic ut præfertur medio simili Juramento moniti & adjurati secundum *Deum* & conscientias suas Vivâ voce in præsentis Electionis sive postulationis negotio vota sua expresserunt. In quo quidem Scrutinio hoc accidit, quod postquam supra nominati *Dominus* Scrutatores circa inibi constitutam Mensam ex ordine confederunt, illis subsequenter fuerit insinuatam, ut juramentum Taciturnitatis circa instantem Electionem seu postulationem ab illis exigent, qui ad hoc tenerentur, pro ut idem Juramentum etiam ex post per sapius mentionatos testes realiter est præstitum, insuper etiam in eodem Scrutinio ante nominatus *Dominus Comes* de *Königseck* monitus se non habere speciale mandatum Jurandi in animam *Dominus* mandantis, *Serenissimi Badensis* respondit votum continere mandatum generale unde Juravit & votum dedit. Cum illa omnia & singula modo præmissa quoque fuissent in scriptis redacta, *Dominus* Scrutatores cum Secretario, Notariis & testibus superius nominatis, ad domum Capitularem ingressi, ibidem præsentibus *Dominis* Capitularibus, mediante organo Reverendissimi *Dominus* *Francisci Adolphi Wilhelmi Comitis de Rittberg &c.* publicationem fecerunt, in communi diserte

referendo, & explicando, quòd illorum, qui in hoc Electionis sive postulationis negotio suffragia tulerunt, essent viginti quatuor, & ut certè sciretur, horum nullum in eo fuisse omissum, singulorum votantium nomina ex prothocollo scrutini sunt prælecta; publicatione hæc factâ Eminentissimus Dominus Præses suo & totius Capituli nomine sæpe fatis Dominis Scrutatoribus dedit potestatem specificata vota Collationandi.

Quâ facultate obtenta D. D. Scrutatores, cum iisdem Secretario, Notariis & Testibus ad Locum Scrutini reversi, vota sic, ut præfertur, pro lata, de numero ad numerum, Zelo ad Zelum, & merito ad meritum, in vicem colationarunt, & hac Colatione factâ Capitulum reingressi ibidem persistentibus retulerunt, quòd ex præspecificatis viginti quatuor votis, tredecim in unam personam, novem in aliam, ac demum reliqua duo acta utpote in unamquamque Personam unum votum sint redacta, rogando & requirendo Dominos Capitulares, utrum placeat, ut minora vota accedant majoribus, super quo puncto postquam aliquamdiu disceptatum esset; Tandem per majora conclusum fuit quòd ita, protestantibus & contradicentibus firmiter iis Dominis Capitularibus qui in Scrutino. In personam eligendam vota sua direxerant. Volentes ante omnia sibi exponi, quot vota pro Persona postulandâ, & quot pro eligenda, vel etiam aliis data essent, acceptoque à Dominis Scrutatoribus responso, quòd ille qui haberet tredecim vota esset postulandus, qui verò haberet novem vota, prout, uterque haberet unum votum essent eligendi, Cumque ulterius Scrutatores quæ siverent, an placeret ille in quem majora postulantium vota directa sunt, postulationem Solemniter fieri, eandemque publicari? perque majora id etiam placuisset, Dominus Joannes Godefridus Bequerer Canonicus nomine suo & sibi ad hærentium iterato eidem per expressum contradixit, asserens primò, quòd in hac conjunctura soli Electioni, non verò postulationi sit Locus,

eius. Secundò quòd in hac postulatiòne adfit impedimentum, adeoque si postulatio sit publicanda, publicanda etiam Electio, vel simpliciter totum Scrutinium, præter multa alia, quæ omnia ita citò assequi non potuerunt, protestando de his & similibus aliis gravaminibus sibi, suis associatis, & ipsi Domino Eligendo per hoc illatis, & quomodo libet inferendis, ac recursum desuper ad Sanctissimum habendo. Contra verò Eminentissimus Cardinalis præmissis per Dominum Canonicum Bequerer & alios ita propositis, & obmotis per expressum contradixit, sustinens quòd per Electionem, uti à minori parte Capituli factam, nulli ullum jus acquiri possit, prout Illustrissimus Dominus Comes de Rittberg unus Dominorum Scrutatorum protestationibus & contradictionibus per D. Canonicum Becquerer nomine Dominorum eligentium obmotis firmiter contradicendo asserbat, quòd juxta Cap. quia propter &c. non possit de duabus personis publicationem facere, sed tantum de unâ, & quidem de illa, in quam majora vota sint directa, ideoque votis omnium Dominorum Capitularium desuper denuò exquisitis, postquam per majora iterum decisum, quòd sic, bene memoratus D. Comes de Rittberg &c. primus scrutatorum tam suo, quam Cæterorum suorum Dominorum Conscrutatorum nomine in Locum Gloriosæ memoriæ quondam Serenissimi & Reverendissimi Domini Maximiliani Henrici Archiepiscopi, & Principis Electoris Coloniensis utriusque Bavariæ Ducis &c. noviter piissimè defuncti, postulavit in novum Archiepiscopum & Electorem Coloniensem, Eminentissimum & Reverendissimum Dominum Guilielmum Egonem Landgravium de Furstenberg, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Episcopum Argentinensem, hujus Metropolitanæ Coloniensis Ecclesiæ Decanum, juxta Schedulam quam toti Capitulo prælegit & publicavit, in modum sequentem videlicet.

In Nomine Patris & Filii & Spiritus
Sancti Amen.

Cum per obitum Serenissimi & Reverendissimi Domini Maximiliani Henrici Bavariæ Ducis &c. Archiepiscopi & Electoris Coloniensis Domini nostri Clementissimi felicissimæ memoriæ, Ecclesiam Coloniensem non ita pridem vacare contigerit, antequam postulatio Coadjutoris cum futura Successione à Sanctissimo Domino nostro Papa admittitur, ideoque ad obviandum periculis & dispendiis, quæ in Casum diuturnæ vacationis, vacanti & viduatæ Ecclesiæ Coloniensi imminere possent ad electionem vel postulationem novi Archiepiscopi procedendum & citationibus oportunis, in eum finem relaxatis debite intimatis & productis hodiernâ die per formam Scrutini in Concilio Generali & Cap. Quia propter de Elect. præscriptam, vacanti Ecclesiæ providendum esse placuerit, factoque juxta ejusdem Generalis Consilii formam, Scrutinio, ac eo publicato & collatione habitâ diligenti, repertum sit, majorem capituli partem, vota sua in Eminentissimum Dominum Cardinalem Landgravium de Furstenberg &c. direxisse, eundemque postulasse: Hinc ego Franciscus Adolphus Wilhelmus Comes Orientalis Frisiæ & Rittberg &c. Metropolitanæ hujus Ecclesiæ Coloniensis Capitularis & Scholasticus, unus conscrutatorum vice mea ac nomine & vice omnium illorum, qui vota sua in memoratum Eminentissimum Dominum Cardinalem Landgravium de Furstenberg direxerunt, ex potestate mihi ab illis tradita, & concessa, memoratum Eminentissimum Dominum Cardinalem Decanum & Canonicum Capitularem hujus Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis, ex legitimo matrimonio & Illustri prosapia procreatum, in sacris ordinibus constitutum, moribus, scientiâ, vitæ honestate ac longævâ rerum Capitularium experienciâ præditum in spiritualibus
& tem-

& temporalibus providum & circumspectum, aliasque ad regendam Ecclesiam Coloniensem singulariter idoneum & habilem in Archiepiscopum, Ecclesiae Colonensis ac Principem Electorem postulo: Super quibus Domini Capitulares, qui in Personam eligendam novem vota direxerant, contra hujusmodi postulationem iterum iterumque protestati fuerunt, ac petierunt similiter publicari electionem, vel saltem nominari personam, in cujus Electionem praetacta novem vota essent directa, secus vero ipse D. Becquerer publice contestabatur, quod ipse hoc in vim Schedulae, quam manu tenebat, absque eo esset facturus: Annuente tandem majore Capituli parte, ut id, citra tamen Domini postulati praedictum fieret, Illustrissimus D. Comes de Rittberg ad requisitionem Domini Canonici Becquerer, retulit. Pro Domino Postulato Eminentissimo Domino Cardinale Decano adesse tredecim vota, pro Serenissimo Principe Josepho Clemente ex ducibus Bavariae &c. verò novem, ac pro Illustrissimo Domino Chori Episcopo Comite de Reckeim unum, atque pro Serenissimo Principe Ludovico Antonio similiter unum, pro ut ipsum ita factum fuisse nobis Notariis ex ipsius Domini Comitis de Rittberg, & aliorum Dominorum proprio ore pariter constat, quo praevio, cum Eminentissimus Dominus Cardinalis Decanus, modo praemissos in Archiepiscopum & Electorem Coloniensem postulatus, pro consensu de se factae postulationi praestando, requisitus esset, idem cum aliquibus ex Dominis Capitularibus e domo Capitulari ad locum habiti scrutinii secedens, in finem deliberandi, quid sibi de super faciendum putaret, paulo post ad domum Capitularem reversus, longiori serie exposuit, quamvis Archiepiscopatus Colonensis pro tempore grandi aere alieno gravatus, ac tot tantisque litibus involutus, & quam sibi difficile futurum praevideret, hujus depauperatae Ecclesiae & Archidiececelsis regimen suscipere, si tamen Deo, Sanctaeque sedi Apostolicae ita placeret, se postulationem de se factam, pro ma-

R

jori

jori Ecclesiæ incremento, ac promotione publicæ tranquillitatis non respuere, atque hunc etiam Serenissimus Princeps Ludovicus Antonius Ordinis Teutonici supremus Magister sub Cautione de rato & oblatione de exhibendo desuper mandatò Coram Capitulo declaravit, quod eodem modo electionem pro Serenissimo Duce Baviaræ acceptaret, cui vero Eminentissimus Dominus Cardinalis cum iis Dominis Capitularibus qui ipsum postularunt per expressum contradixit, sustinens, quòd id fieri non possit, tam ex parte deficientis mandati, quam aliàs &c. Solemniter simul protestans de notoriâ nullitate electionis à minori parte Capituli modo præmissò institutæ. Dominis Principibus Neoburgicis, cum suis sibi adhærentibus continuò de novo protestantibus; cumque tandem Capitulariter propositum fuisset, an non necessarium videretur, ut hæc facta solemniter postulatio etiam pro ut moris & Styli Clero & Populo denunciaretur. Eminentissimus Dominus Postulatus illo fine iteratò à Domo Capitulari ad locum scrutini recessit, ut remanentibus tantò liberior foret facultas in hoc puncto votandi, atque altè memoratâ sua Eminentia, sicut præfertur, in prætacto loco constitutâ, per majora denique Conclufum, quòd sic, Mandatumque Secretario Capituli ut desuper consuetam formam in Germanico ederet, quæ edita, ac inter varios Dominorum Eligentium protestationes, contradictiones, reservationes, & provocationes publicè prælecta, ac taliter in multis correctâ, per organum Senioris Canonici Præsbyteralis & scrutatoris D. Henrici Mehring iussa clero & populo prælegi, & per eundem hanc denunciationem fieri: Qui igitur Eminentissimo D. Cardinali Decano ut per majora postulato concomitante majori Capituli parte scilicet. D. D. sub Decano, Chori Episcopo. Scholastico Seniore & Juniore Diaconis ac Thesaurario, unâ cum Dominis Carolo Goberto Comite de Reckheim, Ernesto Dominico Comite de Manderscheid Hermano Friderico Comite àb Hohenzöllern & Maximiliano Phi.

Philippo Comite de Manderscheid, pro ut etiam D. D. Thoma & Joanne Petro de Quentel & Domino Christophoro Geyer, qui ex consuetudine minora majoribus accedere solere prius edixerat, salvo quòd per hoc Dominos protestantes majoribus ligare non intendat, & in Choro à latere præpositurali reperiebatur ad Chorum Ecclesiæ deducto, & in majoribus subselliis à latere Decani adstante, ejusmodi denunciationis Schedulam altâ & intelligibili voce prælegit, eandemque ad clerum & populum fecit in forma ut sequitur.

Quandoquidem per obitum Gloriosæ memoriæ Serenissimi & Reverendissimi Principis ac Domini Domini Maximiliani Henrici Archiepiscopi Coloniensis, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancelarii, Sanctæ sedis Apostolicæ legati nati, Episcopi Hildesienfis & Leodiensis, Electi Episcopi Monasteriensis, administratoris Berchtesgadensis, superioris & inferioris Bavarix, nec non superioris Palatinatus, Westphaliæ Angariæ, & Bullionis Ducis, Comitum Palatini Rheni, Landgravii Leuchtenbergensis, Burggravii Strombergensis, Marchionis Franchimontensis, Domini in Borckloce &c. Domini nostri clementissimi, hunc Archiepiscopatum & Electoratum vacare contigerit, idcirco Reverendissimi, Serenissimi, Illustrissimi & Perillustres, Prænobiles & Consultissimi Domini, Decanus & Capitulum hujus Archiepiscopalis & Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis, mei Clementissimi & Gratosi Domini, utpotè quibus solis de jure communi privilegio & antiquâ consuetudine hujus Ecclesiæ Electio novi Archiepiscopi & Electoris competit, hodiernam diem decimam nonam currentis Mensis Julii pro eligendo seu postulando novo Archiepiscopo & Electore unanimiter determinarunt & præfixerunt, ad quod & alii absentes Domini Capitulares pro ut de jure, ac juxta morem & Consuetudinem hujus Ecclesiæ citati, atque peracto sacro & invocata Gratiâ Spiritus Sancti ad novam & Canonicam ejusmodi Electionem sive postulationem processerunt, & per
 ejus-

ejusmodi Electionem Reverendissimum & Serenissimum Principem ac Dominum D. Guilielmum Egonem, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Episcopum Argentinensem, Landgravium Alfatizæ & in Furstenberg, Comitem in Heilingberg & Wertenberg &c. pro novo Archiepiscopo & Principe Electore in Capitulo per majora postularunt, ac proinde omnibus & singulis hic præsentibus cujuscunque dignitatis, status & conditionis iidem sint, tam Ecclesiasticis quam secularibus, hoc ipso ejusmodi postulationem per me denuntiari mandarunt, omnes & singulos tam in genere quam in specie requirendo & rogando, hujus Archidiececæsis verò statibus superioribus & inferioribus officiantibus & subditis, clementissimè ac severè præcipiendo, quatenus altè memoratum Clementissimum Dominum Postulatum quâ talem ubique debitè agnoscant, reveantur ac venerentur. Reliquis Dominis Capitularibus taliter ut antè protestantibus ex Domo Capitulari Chorum prætereuntibus, & protestationes suas repetentibus, iisque inhærentibus &c. quo ad ultteriores protestationes contractiones & reservationes. Ipsumque actum postulationis & Electionis nos in omnibus & per omnia, ad superius à nobis factam relationem fideliter referendo, acta & facta fuerunt. Erunt hæc Colonia Agrippinæ Anno millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo, die quidem lunæ decima novâ Mensis Julii Indictione undecima Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Innocentii Divinâ Providentiâ Papæ ejus nominis undecimi, Anno duodecimo, tempore & locis ut supra.

Et quia Ego Godscalcus Wasserfall, Sacris Apostolicâ & Imperiali Authoritatibus publicis, venerabilis Curie Archiepiscopalis Coloniensis pro tempore Senior Notarius, præsertis omnibus & singulis, unâ cum ante nominatis Domino Secretario Capituli Metropolitanij Connotario Vosf, & testibus præsens interfui, eaque hic fieri vidi, audiivi ac quantum

tum humanitus licuit, in notam sumpsi, Ideò hęc documentum cum dicto connotario desuper confeci & subscripsi solitoque Notariatus mei signo munivi, ex parte benè memorati Capituli ad id specialiter requisitus.

(L. S.) Godscalcus Wasserfall idem qui supra Notarius subf.

ET quia ego Bernardus Vos Notarius Apostolico Cæsareus ac venerabilis Curia Archiepiscopalis Colonensis juratus, similiter ex parte Illustrissimi Capituli Metropolitanæ Ecclesiæ Colonensis specialiter requisitus, præmissis omnibus & singulis, una cum prænominatis Dominis Secretario Capituli & Godscalco Wasserfall Seniore Notario & Testibus in hoc instrumento mentionatis, præsens ac personaliter interfui, eaquæ omnia sic successivè fieri vidi & audiui, etiam quantum mihi possibile fuit in notam sumpsi, ideo præsens publicum Instrumentum desuper confeci, ac manu meâ propriâ subscriptum, consueto meo Notariatus Sigillo Communi.

(L. S.) Bernhardus Vos Notarius qui supra.

Adjunctum N. 2.

Concordata Germaniæ.

Nicolaus Episcopus, Servus Servorum DEI ad perpetuam rei memoriam, ad Sacram Petri sedem, divina dispositione sublimati, singulis quæ pro universalis Ecclesiæ unione ac pace, & tranquillitate, profutura conspicimus, Apostolicæ providentiæ sollicitudinem libenter intendimus, & ad felicem illorum prosecutionem & consummationem, opem & operam impendimus efficaces. Nuper siquidem, Cha-

R 3

ris

rissimus in Christo filius noster, Friedericus, Romanorum Rex Illustris, nonnulli alii dilecti filii, ecclesiastici & seculares Principes, inclytæ nationis Germanicæ, ex una, ac dilectus filius noster, Joannes, Sancti Angeli Diaconus Cardinalis in partibus illis Apostolicæ sedis de latere legatus, per nos ad dictas partes missus, sufficienti desuper à nobis & sede Apostolica, autoritate suffultus, ex alia partibus, Romanæ Ecclesiæ & dictæ nationis nomine, pro ipsius Ecclesiæ unione, pace, & tranquillitate inter Ecclesiam, & nationem prædictam, perpetuo solidandis & conservandis, diversa rationabilia & utilia, ordinationes & statuta, à partibus ipsis hinc inde approbata, laudata, conclusa, acceptata & concordata, fecerunt, ac ediderunt, nobisque humiliter supplicari fecerunt, ut illis pro firmiori eorum subsistentia, rubro Apostolicæ firmitatis adjicere, nec non autoritatem potioem, & decretum interponere dignaremur. Nos itaque, qui statuta, ordinationes, & concordata prædicta, per nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, magnæ maturitatis, autoritatis & literaturæ, viros, diligenter examinari & discuti fecimus, eaque rationabilia & salubria, tam Ecclesiæ, quam nationi præfatæ, fore, comperimus; de dictorum & aliorum venerabilium fratrum nostrorum prædictæ Ecclesiæ Cardinalium, consilio & assensu, Apostolicâ autoritate, & ex certa scientia, approbamus, ratificamus, laudamus, & acceptamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, juxta modum & formam subsequentes.

r. Placet nobis, super provisione Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque, juris scripti reservatione, & *execrabilis ac ad regimen*, constitutionum, modificatis, ut sequitur; ad regimen Ecclesiæ generalis, quam immeriti suprema dispositione vocati, gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per nostræ diligentiae studium, ad quarumlibet Ecclesiarum & monasteriorum regimina,

mina, & alia beneficia Ecclesiastica juxta divinum beneplacitum, & nostræ intentionis affectum, viri assumantur idonei, qui præsent & profint committendis eis Ecclesiis, monasteriis, beneficiis prælibatis. Præmissorum itaque consideratione inducti & suadentibus nobis aliis rationalibus causis nonnullorum prædecessorum nostrorum Rom. Pontif. vestigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias, & etiam monasteria, prioratus, dignitates, personatus & Officia, nec non Canonicatus, præbendas & Ecclesias, cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura, vel sine cura, secularia & regularia, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa Personæ consueverint, seu debuerint per Electionem, seu quemvis alium modum, assumi, nunc apud sedem Apostolicam quocunque modo vacantia & impofterum vacatura: nec non per depositionem vel privationem seu translationem, per nos seu auctoritate nostrâ factas, & in antea faciendas ubilibet: nec non ad quæ aliqui in concordia vel discordia Electi sive postulati fuerint, quorum Electio cassata, seu postulatio repulsa, vel per eos facta renunciatio, & admissa, auctoritate nostrâ, extiterit, seu quorum Electorum, vel postulatorum electionem cassari, seu postulationem repelli, ad renunciationem admitti, per nos, aut auctoritate nostrâ continget apud sedem prædictam vel alibi ubicunque & etiam per obitum Cardinalium ejusdem Ecclesiæ Romanæ, aut officialium dictæ sedis, quamdiu ipsa officia actualiter tenebunt (videlicet Vice Cancellarii, Camerarii, septem Notariorum, Auditoris litterarum contradictarum & Apostolici Palatii causarum Auditorum, Correctorum, centum & unius scriptorum litterarum Apostolicarum, & viginti quatuor pœnitentiariæ præfatæ sedis, viginti quinque abbreviatorum, nec non verorum Commensalium nostrorum & aliorum viginti quatuor Capellanorum, sedis ejusdem in Epitaphio descriptorum) & etiam quorumcunque Legatorum, seu Collecto-
rum

rum ac in terris Romanæ Ecclesiæ Rectorum ac Thesaurariorum deputatorum seu missorum hæcenus vel deputandorum, aut mittendorum impostero, nunc vacantia, & in antea vacatura, ubicunque dictos Legatos, vel Collectores, seu Rectores & Thesaurarios, antequam ad Romanam Curiam redierint, seu venerint rebus eximi contigerit ab humanis, nec non quorumlibet pro quibuscunque negotiis ad Romanam Curiam venientium, seu etiam recedentium ab eadem, si in Locis à dicta Curia ultra duas dietas legales non distantibus jam forsitan obierint, vel eos in antea ab hac luce transire contigerit, & etiam simili modo quorumcunque Curilium peregrinationis, infirmitatis, seu recreationis, vel alia quacunque Causa ad quævis loca secedentium, si eos antequam ad dictam Curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem Curia, ut præmittitur, non remotis (dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem) jam forsitan decefferint, vel impostero eos contigerit de medio submoveri, etiam nunc per obitum hujusmodi vacantia, vel impostero vacatura: Rursus monasteria, prioratus, dignitates, personatus, decanatus, administrationes, officia, Canonicatus, præbendas, & Ecclesias, Cæteraque beneficia Ecclesiastica, secularia, & regularia, cum cura, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa personæ consueverint, seu debuerint per electionem seu quemvis alium modum assumi, quæ promoti per nos, seu autoritate nostra, ad Patriarchalium, & Episcopaliū Ecclesiarum, nec non monasteriorum regimina obtinebant, tempore promotionum de ipsis factarum nunc quocunque modo vacantia, aut impostero vacatura, nec non etiam per assecutionem pacificam, quorumcunque prioratum, personatum, officiorum, Canonicatum, præbendarum, Ecclesiarum, & beneficiorum aliorum, per nos, seu autoritate nostrarum litterarum immediatè collatorum seu conferendorum impostero, præterquam si virtute gratiæ expectatiuæ assecutio fiet,

fiet, nunc vacantia, & inantea vacatura, plena super præmissis omnibus & singulis cum fratribus nostris collatione præhabitâ, & matura deliberatione secuta, ordinationi, dispositioni, ac provisioni nostræ, de ipsorum fratrum consilio, autoritate apostolica reservamus. Decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super præmissis, & quolibet eorum, per quoscunque quavis autoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

2. Item placet nobis, quod in Metropolitanis & Cathedralibus etiam immediate non subjectis ecclesiis & monasteriis immediate subjectis Sedi Apostolicæ, fiant electiones Canonice, quæ ad dictam sedem deferantur, quas etiam ad tempus constit. fel. rec. Nicolai Papæ III. quæ incipit, *Cupientes* expectabimus, & elapso dicto tempore, si non præsentatæ, vel si præsentatæ minus Canonice fuerint providebimus; & si Canonice fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili & evidenti Causa, ac de dictorum fratrum consilio, de digniori & utiliori persona duxerimus providendum: proviso quod confirmati prædicti, & per eos provisi, Metropolitanis suis, & aliis præsent debita Juramenta, & alia, ad quæ de jure tenentur, etiam in monasteriis dictæ sedi immediate non subjectis, & aliis regularibus beneficiis, super quibus pro confirmatione, vel provisione ad dictam sedem non consuevit haberi recursus electi, seu illi, quibus providendum est, pro confirmatione & provisione hujusmodi ad Curiam Romanam venire non tenebuntur: ipsaque regularia beneficia sub expectativis gratis non cadant: ubi autem pro monasteriis ad dictam curiam venire, seu mittere consueverint, non aliter confirmabimus vel providebimus, quam superius de Cathedralibus Ecclesiis est expressum, & de monasteriis monialium non disponemus, nisi sunt exempta, & tunc per commissionem ad partes.

3. De cæteris verò dignitatibus & beneficiis quibus-
 cunque secularibus & Regularibus vacaturis, ultra refer-
 vationes prædictas (majoribus dignitatibus post Pontifi-
 cales in Cathedralibus, & principalibus in Collegiatis Ec-
 clesiis exceptis, de quibus jure ordinario provideatur per
 illos inferiores ad quos aliàs pertinet) placet etiam nobis,
 quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam ex-
 pectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub qua-
 cunque verborum forma, per nos, vel autoritate nostra
 factam, vel faciendam, non impediamus nos, quo minus
 de illis cum vacabunt, de Februarii, Aprilis, Junii, Augu-
 sti, Octobris & Decembris, mensibus, liberè disponatur
 per illos, ad quos eorum collatio, provisio, præsentatio,
 electio, seu quævis alia dispositio pertinebit: reservatione,
 aliave quavis dispositione autoritate nostra factis, vel fa-
 ciendis, non obstantibus quibuscunque. Quoties verò
 aliquo vacante beneficio, in Januarii, Martii, May, Julii,
 Septembris & Novembris mensibus, specialiter dispositio-
 ni dictæ sedis reservatis non apparuerint, infra tres men-
 ses à die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo
 Apostolica autoritate provisum fuerit, ex nunc & non an-
 tea, ordinatio Collationum, beneficiorum non reservato-
 rum, per alternas menses, possit per dictam nationem
 publicari, & omnes qui ea gaudere voluerint, tempus con-
 gruum habeant, eam acceptandi, tunc quo ad dictam se-
 dem à Kalendis Junii, proximè futuris, ipsa currere inci-
 pier, & durabit deinceps, nisi in futuro Concilio de con-
 sensu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum.

4. Placet similiter nobis, quod circa provisionem dictæ
 sedis ordinandam modus annotarum hoc modo currat, de
 Ecclesiis Cathedralibus omnibus monasteriis, virorum
 duntaxat, vacantibus, & vacaturis, solvantur de fructibus
 primi anni, à die vacationis, summæ pecuniarum, in libris
 Cam. Apost. taxatæ, quæ communia servitia nuncupan-
 tur,

tur, & si quæ excessivè taxatæ sint, quod provideatur specialiter in gravatis regionibus secundum qualitatem rerû, temporum & regionum, ne nimium prægraventur, ad quod petentibus commissionem in partibus, qui diligenter inquirent & retaxent. Taxæ autem prædictæ, pro media parte infra annum à diè habitæ possessionis pacificæ, totius vel majoris partis, solvantur, & pro alia media parte infra annum sequentem; & si infra annum bis vel pluries vacaverint, semel tantum solvantur: nec debitum hujusmodi in successorem in ecclesia vel monasterio transeat. De cæteris verò dignitatibus, personalibus, officiis, & beneficiis secularibus, ac regularibus, quibuscumque, quæ autoritate dictæ sedis conferentur, vel de quibus providebitur (præterquam vigore gratiarum expectatarum, aut causa permutationis) solvantur annatæ seu medii fructus, juxta taxam solitam, à tempore possessionis intra annum, & debitum hujusmodi similiter in successorem in beneficio non transeat. Sed de beneficiis, quæ valorem viginti quatuor florenorum auri de camera non excedunt, nihil solvatur: duretque hæc observantia deinceps, nisi eam similiter in futuro Concilio, de ipsius nationis consensu, contingat immutari.

5. In aliis autem, quæ per feli: rec. Eugenium Papam IV. etiam prædecessorem nostrum, pro dicta natione, usque ad tempus futuri generalis Concilii præmissa, concessa, indulta & decreta, ac per nos confirmata fuerunt, in quantum illa concordie præsentis non obvient, ista vice nihil volumus esse immutatum: & per hoc, quod in concordatis hujusmodi, sive quibusvis aliis eorum occasione conficiendis litteris, propter compendiosorem descriptionem, Almania specialiter appellatur, natio ipsa centeri non debet à Germanica natione distincta, seu quomodo libet separata.

Et præterea quia difficilè foret, præsentès literas ad singula, in quibus de eis forsitan fides faciendà fuerit, Loca deferri, eadem Apostolica authoritate decernimus, quod ipsorum transumpto, Metropolitanorum dictæ nationis sigillo munito, tanquam præsentibus, si exhiberentur, literis plena fides adhibeatur, & perinde stetur ac si dictæ præsentès literæ forent exhibitæ, vel ostensæ: Et insuper quoque irritum & inane, si focus super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, commutationis, reservationis, constitutionis, & voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis DEI, & beatorum Petri & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo, quadragésimo septimo, Calend. Aprilis Pontif. nostri Anno secundo.

Adjunctum Num. 3.

Schreiben von denen Herren Capitular Eli-
genten des Erzbischoffs Coln / an Ihrer Chur-
fürstl. Durchl. in Bayern / Herrn Gesandten / Seine
Excell. Herrn Baron von Neuhaus / mit ange-
heffter Protestation

Hoch- / Wolgebohrner Freyherr / sonders
Hochgeehrtester Herr Gesandter.

Uer Excellenz werden hoffentlich anderwärtig benachrichti-
get seyen / was massen bey jüngst dahier vorgetwesener Erzbis-
Bi-

Bischöflichen Wahl / des Herrn Cardinals von Fürstenberg /
 Hoch: Fürstl. Eminenz durch dreyzehn ihro guten Theils naher
 Bluts- und Anverwandten / hiesiger Herren Capitularen Vota
 ohnmaßgeblich postulirt, Ihro Hoch: Fürstl. Durchl. Joseph
 Clemens in Bähren aber per novem vota canonicè eligirt, und
 also diese Sache dem Päßstlichen Stuhl zur rechtlichen decision
 und Verordnung heimgestellt worden. Wann aber Hochge-
 meldte Ihre Eminenz, sammt denen Ihro adhærirenden drey-
 zehen Postulanten / der Päßstl. Entscheidung unerwartet / ob-
 her angemaste Postulation nicht allein bey benachbarten Chur-
 und Fürsten / auch frembden ausländischen Potentien, sondern so
 gar bey sammentlichen dasigen Reichs - Collegio, durch den ge-
 wesenen Chur: Eölnischen bevollmächtigten Licentiaten Hol-
 zemium, einseitig notificiren / und den Herrn Postulatüm zum
 Chur: Fürsten proclamiren / da beneben auch an Ihro Päßstl.
 Heil. und um den künfftig ihrer Seits von Rom aus / befahrenden
 Verordnung / mehrere Hinternus zu verursachen / auch an
 beyde Durchl. Durchl. Chur: Fürsten zu Sachsen und Brän-
 denburg / wie dann fast alle Teutsche hohe Erz: und Thum:
 Stifter / ganz anzäpffliche Schreiben sub Sigillo Capituli, &
 manu ejusdem Secretarii, abermalen einseitig abgehen lassen;
 als haben wir eine unumgängliche Nothdurfft erachtet / zu Ret-
 tung unserer eigenen Reputation / und biß dahin in gutem Ver-
 nehmen unverleßt conservirten guten Rimmuts / auch das ge-
 meine Beste zu befördern / und ein Vergeres zu verhüten / da hin-
 gegen bestermassen / wie darob die Beilage Lit. A. abermalen
 ausweist / in Capitulo zu protestiren; und weilien wir nicht
 unzeitig besorgen / obgedachter Holzemius, als welcher in sei-
 nem daselbst beschehenen Vortrag / auch seinem darüber anhero
 erstatteten Bericht: Schreiben / in welchem Ihre Eminenz
 den Herrn Cardinaln zum Chur: Fürsten intitulirt, gar zu weit-
 gangen / fernern Vortrag von unseren und des Herrn Electi we-
 gen zu thun Bedenkens tragen dürffte; daherö ersuchen wir
 Euer Exzellenz hiemit und in Krafft dieses inständigst / dieselbe ge-
 rühen!

ruhen die wahre Beschaffenheit/nach Inhalt unserer obbenann-
 ten eingelegten Protestation/dem gesamtten anwesenden Reichs
 Convent zu hinterbringen / und die ungleiche Impressiones, so
 die gegentheilige Schreiben hin und wider vielleicht verursachen
 dörfften zu verhindern / auch obenher austruckentliche Remon-
 strationes denen sämtlichen Reichs-Collegiis zu thun / damit
 keine fernern motus vom Gegentheil im Reich verursacht / son-
 dern der künfftigen Päbstl. Verordnung alles anheim gestellt seyn
 und bleiben möge / gleichwie wir nun nicht zweiffeln / daß Euer
 Excellenz solcher unserer Bitte zu willfahren / und dem Durch-
 läuchtigen Chur-Hause Bayern so wol / als unserem Electro
 des Herrn Herzogen Joseph Clemens Hoch-Fürstl. Durchl.
 zum Respect, und dem ganzen Röm. Reich zum Besten / die
 Mühewaltung geru über sich zu nehmen von selbst geneygt
 seyen / also bleiben wir etc. Lit. A.

Protestatio D. D. Eligentium Capitu-
 larium in pleno Capitulo Coloniensi
 facta.

Quandoquidem nuper sub die 9. currentis Mensis in Ca-
 pitulo Metropolitano contra literas ex part. 13. Dominor-
 um Capitularium se se pro postulatoribus Eminentissimi
 Domini Cardinalis Landgravii de Fürstenberg apertè geren-
 tium ibidem exhibitas, & prælectas, ad Sanctissimum Domi-
 num nostrum, nec non Serenissimos Electores, Saxonicum,
 & Brandenburgicum, ac diversa Germaniæ Capitula dire-
 ctas, tanquam injuriosas, calumniosas, & facto repugnan-
 tes oretenus, nostro & absentium Dominorum Capitularium
 nomine, quantum exiguitas temporis tunc permittebat,
 protestati fuerimus, ulteriora etiam in contrarium suo loco,
 & tempore latius proponenda, reservando. Hinc nos infra
 scripti Capitulares, vigore reservationis hujusmodi & aliàs
 pro veteriori nostrà, & jurium Ecclesiæ nostræ defensione
 omni-

omnino necessariū duximus, in hisce scriptis denuo quàm solennissimè, & omni meliori modo, Nostro, & absentium Capitularium nomine protestari.

1. Quod dictæ litteræ, sicut & aliæ anteriores Scripturæ, extra Capitulum, & absque ejusdem præscitu clandestinè conceptæ, postmodum in eodem obiter prælectæ, & protestationibus non obstantibus, sub nomine, & sigillo Capituli expeditæ fuerint.

2. Quod in illis ad Sanctissimum Dominum Nostrum non satis fideliter expressum fuerit, quasi 13. Dominis Capitularibus postulantis unus 14. accesserit, votum verò unius ex Eligentibus pro nullo reputetur, quodquè Serenissimus Dux Bavaricæ Josephus Clemens Electus, nimis acerbè tanquam Juvenis, & rerum gerendarum inexper-tus, atque ad Regimen Ecclesiæ minus sufficiens taxetur, idque non sine fugillatione ipsiusmet Sanctissimi Domini Nostri, qui per indultum suum Apostolicum Eidem Principi Josepho Clementi benignissimè concessum, omnibusq; Dominis Capitularibus hujus Ecclesiæ jam dudum notificatum & publicatum, quæcunq; si quæ obstetissent impedimenta sustulit, & supplevit, quodque insuper præ-tenfi Domini Postulantes in eisdem litteris asserant, dictam electionem Serenissimi Principis Josephi Clementis multi-plici nullitatis vitio laborare, Eundemque pro Electo nulla-tenus censi debere.

3. Quòd in literis ad altè memoratos Dominos Sere-nissimos Electores, & Capitula Germaniæ, ut præfertur, directis, injuriosè & calumniosè asseratur, quasi per minas pro parte Augustissimi Romanorum Imperatoris, per suæ Sacræ Cæsareæ Majestatis Legatum illustrissimum, & Ex-cellentissimum Dominum Comitem de Kauniz, in Comuni Capitulo, & extra illud apud quemvis in privato sparsas, Nos tamen conscientiæ, & juramenti immemores, ad resi-liendum à priori conclusò, & voto, jurejurando etiam con-firma-

firmato, & ad vota nostra in præfatum Electum Principem dirigendum concuti, & terri permisissemus. Contra quam injuriam Sacræ Cæsareæ Majestati non minus, quam nobis illatam, pro ut altissimè fata sua Majestas ipsamet condigna remedia adhiberi sciet, ita & Nos iterum quæcunque opportuna de jure Nobis competentia, cumprimis autem contra fabricatorem hujus injuriosi scripti, quem nobis denominari petimus, reservamus, & coram Deo, & mundo hisce contestamur, quod nullis exterarum Potentiarum minis (quarum quidem ex parte Angustissimi Imperatoris nec vel minimas nobis incussas esse asseveramus territi, sed solius Dei gloriâ, recto conscientiæ nostræ dictamine, Ecclesiæ utilitate, & communi totius Archidiæcesis, & Imperii Romano-Germanici bono moti, & permoti, vota Nostra in Serenissimum Principem Josephum Clementem direxerimus, Eundemque, quantum in Nobis fuit, Canonicè elegerimus, & huic Metropolitanæ non occurrebant, nec militabant, rationes etiam in eo quod ipsemet Sanctissimus Dominus Noster Eundem Serenissimum Principem Electum per Communicationem Indulti eligibilitatis ad hanc Ecclesiam Coloniensem non minus, quam Hildesensem & Leodiensem specialiter habilitaverit, & per hoc Eundem idoneum, & sibi magis bene visum non obscure demonstraverit, & ne huic Apostolicæ intentioni ullum poneretur obstaculum. Eadem sanctitas sua Eminentissimo Domino Cardinali non solum petitam antè hanc Ecclesiæ hujus Coadjutoriam, verum etiam Indultum Eligibilitatis, quamvis vehementissimè desideratum, & ne aliquo modo ad hunc Archiepiscopatum aspirare posset, etiam quæsitam licentiam dimittendi Episcopatum Argentinensem denegaverit.

4. *Acceptamus etiam firmissimè, quod Domini Postulantes Eminentissimo Domino Cardinali præviè juramento se obstrictos fuisse, in dictis literis fateantur, ideoque protestamur, vota illorum tan-*

tanquam non libera, sed præoccupata, & alieno arbitrio subiecta nullius momenti esse, ac postulationem huiusmodi etiam in hoc nullam & irritam remanere.

5. Protestamur solennissimè, quod non solum dictæ literæ ita, ut præfertur, indebitè conceptæ fuerint, verùm etiam Eminentissimus Dominus Cardinalis de Fürstenberg, cum assistentia Eorundem D. D. Postulantium, maximâ ex parte benefato Eminentissimo Domino Cardinali sanguine, vel affinitate junctorum, Consiliarios tam aulicos, quàm Camerales, aliosque Ministros Civitatum, fortalitorum, & oppidorum Governatores, ac officiales militum huius Archidiæcesis (non obstante, quòd coram Deputatis Capituli dudum, & statim post mortem Serenissimi Archiepiscopi Nostri piissimæ memoriæ Capitulo juraverint) recentissimè novum fidelitatis iuramentum sibi præstare fecerit, & quidem hisce formalibus: *Quod neminem pro Archiepiscopo & Electore Coloniensi agnoscere debeant. quam illum qui per majora Capituli pro tali reputaretur. Eos verò, qui novum huiusmodi iuramentum ejurare recusaverunt, officiis suis, in quibus antecederet per Capitulum Metropolitanum confirmati erant, privaverit, Quæ sanè in non modicum vilipendium Sacræ Sedis Apostolicæ vergere, quilibet prudens facile dijudicabit.*

6. Protestamur contra omnes & singulos administratorios actus, quos idem Eminentissimus Dominus Cardinalis, cum sibi adhærentibus DD. Postulantibus, Bonnæ, seu alibi locorum, sub specie, & prætexu majoritatis votorum Capituli, facit, & gerit, aut in futurum quovismodo faciet, seu geret, cum nullatenus permittere valeamus, aut debeamus, quòd in præsentì causâ, in quâ benefatus Eminentissimus Dominus Cardinalis, cum suis adhærentibus DD. Postulantibus, unam solummodò partem constituit: Eorundem DD. Postulantium vota majora Capituli facere, aut in causâ propriâ concludere possint, sed tam Eligentes, quàm Postulantes æquales hinc inde partes con-

Mittere, & dispositioni superiori, id est, Sacrae Sedis Apostolicae omnia in hoc passu relinquere debeant.

7. Protestamur etiam specialissimè, quòd saepe benèfatus Eminentissimus Dominus Cardinalis, cum assistentiâ suorum DD. Postulantium Palatium Archiepiscopale Bonnæ occupaverit, & in ipsis Conclavibus Electoralibus, instar Electoris, habitationem suam sumpserit, quòdquè, cum iisdem DD. Postulantibus, sumptibus Ecclesiae, aut totius patriæ, aliàs satis depauperatae, cum gravi ejusdem Ecclesiae dispendio Bonnæ hæreat, & in præjudicium Capituli ibidem circa regimen, & administrationem omnia dirigat, & ordinet, & ibi conclusa & concepta, absque præviâ communicatione in Capitulo obiter tantum prælegi, & per majora suorum adhærentium expediri, & exequi faciat, nostris in contrarium factis protestationibus non obstantibus.

8. Protestamur expressè, quòd idem Eminentissimus Dominus Cardinalis cum Agente, seu Residente Ratisbonæ, Domino Petro Holzemio solus correspondeat, & nullam hæctenus communicationem Correspondentiæ hujusmodi Capitulo faciat, excepto quòd ultimas solum literas de 2. Augusti, in quibus titulus Electoralis Eminentissimo Domino Cardinali datur, & attribuitur in Capitulo prælegi fecerit.

9. Protestamur deniquè, quòd Eminentissimus Dominus Cardinalis præsidia in locis fortioribus Archidioscesis augere, novas Copias ad Civitates, & munitiones prohibitu adeo copiosè introducat, ut in hospitationibus illarum nec domibus Clericorum, & Ecclesiasticis immunitatibus parcatur, absque quòd Nobis huc usque constet, undè pecuniæ pro tam numeroso milite alendo requisitæ, quibus solvendis patria hæc depauperata minimè sufficit desumantur, ut propterea timendum sit, ne exteris Potentis, quæ nervum alendi tam copiosi militis fortè suppeditant,

ditant, aut ipsas etiam militum copias subministrant, gravis inde prætenſio in hanc noſtram Archidiœceſin quæri poſſit.

10. Cumque præterea metuamus, ne ſumptus, & expenſæ pro parte D. D. Poſtulantium Rômæ & alibi in hâc cauſâ quomodolibet faciendæ, ex mediis Eccleſiæ, & Patriæ deſumantur, hinc pariter contra hoc abſolutè & quovis meliori modo proteſtamur.

11. Pro ut & contra illud, quod iidem D. D. Poſtulantes Sigillum Capituli penes ſe detineant, eodem pro libitu utantur, & ſub eodem, & nomine Capituli quaſcunque expeditiones pro parte ſua faciant, cum tamèn, uti ſupra dictum eſt, iidem D. D. Poſtulantes unam ſolummodò partem in hâc cauſâ conſtituant, & abſque gravi notâ in præjudicium alterius partis Eligentium & Electi, nomine, & Sigillo Capituli uti nequaquam valeant.

Quæ omnia, & ſingula præmiſſa, cum juribus Canoniceis, Conſtitutionibus Eccleſiæ, & æquitati repugnent, ideo Nos proteſtationi a iâs inſcriptis à nobis Capitulariter factæ inhærentes, hanc iteratam proteſtationem denuò publicè interponere, atquè ita conſcientias noſtras ratione damnorum, & præjudiciorum tam Eccleſiæ noſtræ, quàm etiam toti patriæ, & vicinis forſitan Romani Imperii Provinciis ex præmiſſo benè fati Eminentiffimi Domini Cardinalis, & eidem adhærentium D. D. Poſtulantium (qui omnes, & ſinguli, eorumque hæredes deſuper ſuo tempore ſub gravi obligatione reſpondere habebunt) procedendi modo, cauſandorum exonerare, & omnimodam devotionem noſtram Sacræ ſedi Apoſtolicæ conteſtari debuimus, requirentes Secretarium noſtrum Capitularem, Dominum Gerhardum Renſing J. U. D. ut hanc proteſtationem, juſtamque noſtram deſenſionem protocollo, & actibus capitularibus, ad perpetuam rei memoriam, fideliter inferat, & deſuper omnibus vis petentibus copiam faciat, in fidem præſentem proteſtationis

Shedulam nostro & absentium D. D. Eligentium nomine subscripsimus Dat. Augusti, 1688.

- (L. S.) Franciscus Ludovicus Comes Palatinus Rheni.
 (L. S.) J. H. Anethan, Episcopus Hierapp Suffraganeus V. G. Coloni.
 (L. S.) Antonius Wormbs: Subscripsi meo & absentium nomine.
 (L. S.) Johannes Godefridus Bekerer.
 (L. S.) Adamus Dhamen.

Adjunctum Num. 4.

Propositio Legati Cæsarei, Illustrissimi & Excellentissimi Domini Comitis de Kauniz in Capitulo Coloniensi facta.

Ingemuit Sacra Cæsarea Bohömiae & Hungariæ Regia Majestas, dum tristem de obitu Serenissimi & Reverendissimi Principis ac Domini Domini Maximiliani Henrici Archiepiscopi Coloniensis, Sacri Romani Imperii Principis Electoris, per Italiam Archi Cancellarii, & Sanctæ sedis Apostolicæ legati nati, Episcopi ac Principis Hildesensis & Leodiensis Electi Episcopi Monasteriensis, Administratoris Berchtesgadenensis, utriusque Baviariæ, Superioris Palatinatus Westphaliæ, Angariæ & Bovillonii Ducis, Comitis Palatini Rheni, Landgravii Leuchtenbergensis, Burggravii Stromb. Marchionis Franchimont, Comitis Lossensis & Hornensis &c. Nuntium percepit, auxit vero dolorem tum ipsa Conanguinitas, tum defuncti Principis pietas, prudentia & laudabiliter gestum Regimen, cujus defectus non exiguam huic Diæcesi & Romano Imperio cladem & jacturam intulit, adeo ut jam totius Christianitatis maximè interfit, talem iterum Archiepiscopo

scopum & Electorem eligi, qui prioris vestigiis insistat, & simili modo incolumitati Ecclesiae & imperii prospiciat, libertatem quoque Nationis Germaniae strenue defendat. Et imminetia quaecunque pericula ab hoc Archiepiscopatu, in finibus Imperii sito, prudenter avertat.

Recordari sine dubio Dominos Capituli res, quid legatus ante hac, cum de negotio Coadiutoriae ageretur, iisdem ob oculos posuerit, qua ratione summus Pontifex eosdem dehortatus sit, & quae Mandata ab Auditore Camerae publicis valvis affixa fuerint, quibus utique deferendum erat, quod vero Paternae & Sanctitatis & Majestatis suae admonitiones spretae tum temporis fuerint, suo jam loco relinqui; nunc vero vacante Archiepiscopali sede Caesarem Majestatem sui Muneris esse & Advocatae sibi in Ecclesias Germaniae Competenti incumbere, duxisse Capitulo Metropolitano breviter exponi, quod Archiepiscopatu huic Electoralis dignitas annexa sit, quam conservare, nec ullo discrimini objicere oporteat.

Notum esse, quod D. Cardinalis de Fürstenberg, Natione quidem Germanus, Coronae tamen Gallicae quasi mancipatus, & serviliter subiectus; ejusdem Minister, & ibidem naturalifatus sit, in diversis quoque negotiis contra imperium egerit, Regi Christianissimo fidem & Homagium praestiterit, hanc Diocesim Theatrum Belli fecerit. Argentoratum ab Imperio avulserit, fort. lituum seu Citadellam Leodiensem exteram potestati subjecerit.

Nunc quoque illum Diocesim hanc novo periculo exponere, fortalitia suspectis praesidiis & Belli officialibus considerare, Bonnam cujus nescitur aere munire, adeoque Archiepiscopatum praedam victoris ferius ac citius futurum.

Non posse virum talem ad Collegium Electorale admitti, nec esse dubium, quin parem haec nova postulatio, si fiat, cum priore sit sortitura effectum.

Nullum igitur à Capitulo in Personam D. Cardinalis faciendam esse reflexionem, nolle tamen Majestatem Cæsaream per hoc libertati suffragiorum quicquam præjudicare, imò eandem potius tueri, ne hic pariter uti & Argentinæ factum prorsus adimatur.

Considerandum esse, quòd Diœcesibus Germaniæ temporalis jurisdictio cum Regalibus annexa sit, idèdque non posse illis illimitatam planè eligendi libertatem competere; sed eam in tantum esse restrictam, ut non liceat ab interesse imperii recedere.

Ad hortari itaque Majestatem Cæsaream Capitulares omnes & singulos, ut juramentum, quò obstringuntur imperio, maturè perpendant, omnia partium Studia, omnesque respectus privatos Consanguinitatis & utilitatis propriæ seponent, & cum tot in suo gremio viros sede Archiepiscopali dignos numerent, ex iis tamen eligant, & quidem per vota Secreta & Scripta, qui de obtinenda Confirmatione certus sit, & talem administrationem gesturus, Diœcesis novo æris alieni onere non gravetur, sed eo quo jam onerata est, sublevetur.

Sin secus nesciri quid Cæsar de regalibus & Jurisdictione temporali sit statuturus, &, quam sit rationem exacturus ab iis quibus Culpa contrarii eventus incumbit. De Cætero Majestas sua protectionem & gratiam suam Erga hanc Diœcesin conservabit, Dominusque Legatus Servitia sua Dominis Capitularibus parata offert, & hanc Causam pro-
 ut exigit DEI Gloria, Cæsaris obsequium, Patriæ Salus, & Securitas enixè Com-
 mendat.

Ad.

Adjunctum Num. 5.

MOTIVA PROELECTIONE

SERENISSIMI & REVERENDISSIMI PRIN-
CIPIS ac DOMINI, DOMINI

JOSEPHI
CLEMENTIS,

Utriusq; Bavarix ac Palatinatus Supe-
rioris Ducis, Comitis Palatini Rheni, Landt-Gravii
Leuchtenbergensis, Electi Ratisbonensis & Fri-
singensis.

Motus proprius Sanctissimi Patris ac Domini, Domini
MINNOCENTII Divinâ Providentiâ PP. XI. expeditus
Romæ die 19. Junii, 1688. quo habilitatur Serenitas sua,
ut, non obstantibus quibuscunque, & denegatâ licet mul-
toties aliis ætate majoribus ejusmodi gratiâ, ad Metropo-
litanam Coloniensem & Cathedrales Hildesiensem ac Leo-
dientem eligi possit.

II. Egregia suæ Serenitatis, ut in eodem Brevi Sanctis-
simus loquitur, & accommodata ad pietatem ac discipli-
nam Ecclesiasticam indoles, ex cujus clarioribus semper
argumentis rationabiliter conjicitur, quod Serenitas sua
quàmprimùm, benedicente Domino, in Virum virtutibus
Catholico Principe & circumspecto Præsule, Genêrisque
sui splendore dignis insignem evadere debeat, Quorum in-
tuitu idem Summus Pontifex Serenitatem suam amplioris
favore gratiæ prosequi volens, motu proprio, & ex certa
scien-

Scientia, & maturâ deliberatione præhabitâ, de Apostol. potestatis plenitudine dispensat, ut, si contingat Serenitatem suam, servatis aliis servandis, eligi, Seren. Princeps JOSEPH CLEMENS, sic electus, electioni consensum præstare liberè, licitè, & validè possit, ac valeat: ita ut electio de persona ejus facta, valida ac efficax existat; atque per omnia suffragetur, non secus ac si ætate, Ordinibus, & aliis debitè qualificatus inveniretur.

III. Major ejus, hic & nunc, dum instituenda est electio Archiepiscopi, in cujus persona Electoralis Præminencia simul concurrir, dignitas atque habitas, cujus mensura, quoniam ex majore boni communis hujus Patriæ, ac totius Imperii promotione in tantum desumitur, ut verè licet alias doctior, vel prudentior, vel senior, vel in Regimine magis expertus, si non sit hic & nunc bono communi utilior, ex doctrina S. Thomæ, Theologorumque pariter, & Canonistarum, pro digniore nequaquam habendus, sicque nec prudenter eligibilis sit: compertum est, non falli suæ Sanctitatis de Seren. Principe JOSEPHO CLEMENTE judicium, dum ipse, præter allatas dotes, August. Cæsari & Imperio, cunctis Regibus, ac quibuslibet Europæ Potentiis, tum ob vinculum affinitatis & sanguinis, tum aliis de causis toti Orbi notis, æquè gratus ac charus, nulli non placere potest ac debet, quorum proinde unanimi gratulatione & plausu evehendus, si Dominis Eligentibus ita placuerit, non modò publicam quietem servabit illæsam, sed & relictâ, donec magis adoleverit (de suæ Sanctitatis placito) administratione in manibus cujusque Capituli, annuos Ecclesiæ, vel Ecclesiarum proventus in extinctionem debitorum ipsarummet Ecclesiarum non minùs, quàm Capitulorum, sinet impendi, reservatis sibi duntaxat functionibus Electoralibus de Clementissimo consensu Sac. Majestatis Cæsareæ, quam æquè ac Sanctitatem suam ad firmandum tuendumque hoc dandæ à se, intuitu boni publici, fidei vinculum,

lum, eâ, quâ par est demissione & enixâ sinceritate confestim requiret.

IV. Felix alias successus hujusmodi administrationis tum hic Coloniae in seculo XIV. tempore Engelberti III. Archiepiscopi, cui ob decrepitam ætatem adjunctus Cuno Trevirensis Archiepiscopus durante ejus vitâ & pluribus adhuc post ejusdem obitum annis administrator de voluntate S. Sedis ac Illustr. Capituli constitutus, adeo obæratæ Coloniensis Ecclesiæ miseriam dispulit, ut referentibus tam Coloniensibus, quam Trevirensibus Chronicis, Tulpicum reluerit, comitatumque Anspersensem in Westphalia insuper in jus, ditionemque Ecclesiæ Coloniensis adduxerit: tum Ratisbonæ in Bavaria, ubi Canonici post Davidis Kolderer Episc. mortem Anno Christi 1579. dubii, quid sub tam gravi onere debitorum facerent, aut quò se verterent, potiores pro re Episcopatus talem ac de tali Domo Episcopum consultius eligendum putârunt, cujus prudentiâ & potentiâ hisce ac majoribus malis obviari posset: postulato proinde à Seren. Domo Bavaricâ Philippo secundo-genito Wilhelmi, nepote Alberti Ducis, Catholicorum, prudentissimorum, ac potentissimorum Principum, Ecclesiâ illâ annis aliquot, donec Postulatus adolesceret, pro diluendo gravi ære alieno relicta, ab impensis majoribus vacuâ, & administratoribus constitutis. Neque versatorum in rebus Bohemiæ memoriam effugit, quanto fructu ac merito Metropolitanum Pragense Capitulum, inter feros Hussitarum tumultus, in spiritualibus pariter, ac temporalibus administrârit eandem Ecclesiam, atque pro fidei & curæ illi Ecclesiæ impensæ præmio illud inter cætera retulerit, ut singulis Capitularibus ex eo tempore publicus Mitræ usus concessus sit: Quorum fidelitatis exemplo cum Serenis. Princeps JOSEPH CLEMENS inductus, in casum electionis suæ Personæ, sub Potestatis supremæ placito, administrationem similiter manui eorum, quos Metro-

Metropolitanae hujus Ecclesiae & Electoratus bonum maxime attinet, modo supradicto, irrevocabiler ac in Fide Principis, donec magis adoleverit, concreditor sit, & ex ejus Serenif. Domo Electorali, tot fidei defensores, alique gloriosi Principes longa ferie prodierint, hodieque Seren. ac Potentissimus Princeps & Dominus Dom. MAXIMILIANUS EMMANUEL utriusque; Bavariae & superioris Palatinatus Dux, Comes Palatinus Rheni, Princeps Elector & Archidapifer, Landgravius Leuchtenbergensis adeo emineat, ut Ecclesiis hinc summo semper futurus sit adjumento; neminemque porro lateat, quo fructu hodie à Ratisbonensi & Frisingensi Capitulis eadem Ecclesiae quoad spiritualia & temporalia administrantur: dissipatum omnino videtur, quicquid nebularum, luci veritatis posset offundi.

V. Facultas talis ac tanta, ut electione concurrente cum Postulatione alterius ineligibilis, *C. scriptum. 40. de elect.* Si plusquam à tertia suffragantium parte per schedas in calicem injectas juxta modum à S. Sede Rom. his Ecclesiis ad Tractum Rheni pridem praescriptum, & Coloniae Typis Henrici Krafft 1655. impressum, servatisque aliis servandis, fiat Electio, haec Electio Postulationi duabus tertiis destitutae praefertur.

VI. Certitudo confirmationis obtinendae à Summo Pontifice: dum è contra ut rectè Pius II. in sua ad Martinum Mayer Cancellarium Moguntinae epistolâ Romae datâ 1457. post concordata Germaniae, quorum compilationi idem Anno 1447. interfuerat, asserit, *Postulationes semper ex gratia pendent, etiam vetusto jure, liberumque est Pontifici Maximo eas admittere, vel rejicere.*

VII. Commune Sac. Majestatis Caesareae ac totius Imperii Romanae desiderium, atque singularis vicissim, ac haereditaria suae Serenitatis erga S. Sedem & Sacram Majest. Caesaream, Imperiumque devotio, & stante Indulto eligibilitatis praefato, omnimoda immunitas à cunctis fundare
valen-

valentibus exceptionem legitimam, quæ ab Imperatore, veluti supremo Imperii Capite, vel alio quoquam possit opponi.

VIII. Præcedentium ex eadem Serenissima Domo Electorali Bavarica Principum ingens meritum, quorum exemplo Serenitas sua semper præ oculis habito, a recto tanti muneris tramite nunquam excedet.

IX. Conservatio Libertatis eligendi novum Archiepiscopum Electorem, aut Episcopum; penes D. D. Eligentes, si quando easdem Ecclesias denuò vacare contigerit, ex eo quòd Serenitas sua, nec in Cardinalitia dignitate constituta, nec aliàs penes Serenissimam ejus personam tale quid sit, per quòd ejusdem dignitates Ecclesiasticæ vel quæcunque beneficia, Sanctæ sedis Apostolicæ afficiantur, eatenus, ut Capitulis aut respectivè Ordinariis Collatoribus pro eâ vice usus Electionis seu respectivè collationis non concedatur.

Adjunctum Num. 6.

Coloniensis Electionis.

SACRA Congregatio rebus Consistorialibus præposita, examinato authentico instrumento à Canonicis & Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniensis tradito, per syndicum suum Archiepiscopo Damasceno, Apostolico ad Tractum Rheni Nuntio, in quo à tredecim ex viginti quatuor Capitularibus Eminentiss. & Reverentiss. Cardinalem de Fürstenberg Episcopum Argentoratensem postulatam, & à novem ex iisdem Capitularibus Serenissimum & Reverendissimum Josephum Clementem ex Baviaræ Ducibus, Episcopum Ratisbonensem & Frisingensem in Archiepiscopum & Electorem Coloniensem vigore Apostolici indulti eligibilitatis illi præviè concessi electum fuisse constat, reliquis duobus suffragiis in alios collatis: Omnibus maturè & diligentissimè
per-

perpensis, unanimi Patrum sententia censuit, si Sanctissimo Domino nostro placuerit, præfata postulatione de persona ejusdem Cardinalis repulsa confirmandam esse Electionem de persona ejusdem Josephi Clementis, cum clausula sup-
plente omnes defectus, quatenus opus sit: Et facta relatione Sanctitas sua Sacræ Congregationis Sententiam benigne præ-
bavit, Datum Romæ, die 15. Septembris, 1688.

Laurus Casonus Secretarius.


Coloniensis administrationis.


SACRA Congregatio rebus Consistorialibus præposita, post
maturam discussionem, quo præsertim modo Ecclesiæ
Coloniensi consulere, donec Serenissimus & Reverendissi-
mus Josephus Clemens ex Bavariæ Ducibus ad ipsam Cano-
nicè Electus ad legitimam ætatem perveniat, Censuit, si Se-
renissimo Domino nostro placuerit, Temporalium admini-
strationem ejusdem Ecclesiæ liberè, præfato Josepho Cle-
menti esse dandam. Spiritualium vero eidem eâ lege com-
mittendam, ut ipsam gerere debeat, una cum Episcopo Hie-
ropolitano præfate Ecclesiæ suffraganeo ac Canonico, qui
intelligatur deputatus in eadem Coadministratione ad Sancti-
tatis suæ & sedis Apostolicæ beneplacitum, & facta relatione
Sanctitas sua Sacræ Congregationis sententiam benigne
probavit. Datum Romæ, die 15. Septembris, 1688.


Alderanus Episcopus Ostiensis Cardinalis Cybo.


Laurus Casonus Secretarius.


F I N I S.


















Th
4768



Varia

510

43